COMMENTATIONES

PROPERTIANAE.

SCRIPSIT

CHRISTIANUS LÜTJOHANN,

DR. PHIL.

KILIAE

IN AEDIBUS SCHWERSIANIS.

A. MDCCCLXIX.

OTTONI RIBBECKIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

D. D. D.

CHRISTIANUS LÜTJOHANN.

Prooemium.

Cum ceteri qui Augusti aetate floruerunt poetae Latini nostris temporibus sat multos criticos et interpretes nacti sint, qui in Propertio aut recensendo aut explicando curam posuerint, pauci tantum exstitisse videntur. attamen non solum commentarius qui quidem nostrae aetatis diligentiae et doctrinae satisfaciat, verum etiam iusta recensio deest quae omni optimorum codicum varietate accurate excussa pristinum poetae splendorem recuperare conata sit. quibus rebus factum est, ut prae ceteris quintum Propertii librum*) a criticis et interpretibus nimis neglectum acceperimus. postquam enim Lachmannus ne diligentius in illo persanando versaretur, et patria a Gallis periclitante impeditus et ipsorum carminum quae illi visa est indignitate deterritus est, ceterorum virorum, si qui suam Propertio curam navaverunt, industria et diligentia, ut fieri fere solet, in fine operis aliquantum imminuta est. sed nuper Heimreichius in symb. philol. Bonn. pp. 674 sqq. nec non Eschenburgius in lib. miscell. a societate philol. Bonn. edito pp. 83 sqq. in hoc libro et critici et interpretis munus strenue susceperunt. quorum tamen ille haec carmina a Propertio tota abiudicavit, hic tempus tantum eorum diligentius indagare studuit. his autem causis commotus sum, ut post studia in ceteris libris exercitata omnem curam converterem in quintum Propertii librum. de quo quae probabilia invenisse mihi videor nunc quam brevissime proponam. ac primum quidem diversorum mendorum emen-

*) Utar in hac dissertatione numeris editionis Hauptianae tertium recognitae a. 1868.

datione exposita de emendandi huius libri ratione disseram. tum consilium quod in his carminibus componendis secutus sit poeta explicabo. deinde eorum et dispositiones et rationes strophicas aut exemplis propositis illustrabo aut breviter significabo. postea tempus quo singula carmina confecta videantur accuratius definiam. denique de huius libri auctore quaestionem instituam. composui autem hunc libellum iam proximi anni aestate, ut summos in philosophia honores rite impetrarem ex auctoritate amplissimi philosophorum in academia Christiana Albertina Kiloniensi ordinis. a quo cum probatus sit, nunc eum secundis curis retractatum in publicum emitto; speroque fore ut praeceptorum Kiloniensium quos semper pia memoria colam disciplina non indignus habeatur.

Dabam Lipsiae a. d. XV. Cal. Mart. a. MDCCCLXIX.

Caput I.

De emendandarum libri quinti Propertiani elegiarum ratione disseritur.

Ac primus quidem locus est de via ac ratione qua etiamnunc libri quinti elegiae emendari possint. quo in explicando initium capere convenit ab aestimandis eis codicibus, in quibus nititur crisis Propertiana. Lachmannus autem cum artis criticae in Propertio exercendae fundamentum solos codices Neapolitanum et Groninganum merito elegerit (cfr. edit. Lipsiensis a. 1816. praef. pp. IX. sq.), in ipso opere adornando palmam detulit Groningano. sed nuper post Hauptium (cfr. index lect. Berol. aestiv. a. 1856.) Heimreichius quaest. Propert. pp. 1. sqq. Groninganum nec singularem prae se ferre originem et a viro quodam indocto adeo interpolatum esse contendit, ut acquiescendum nunc esset in fide libri Neapolitani. quam tamen normam nec Eschenburgio (cfr. observat. crit. in Propert. p. 23.) nec Luciano Muellero (cfr. Fleckeiseni ann. vol. 91. p. 781.) prorsus persuasit. hos autem viros Heimreichio verius de codicibus Propertianis iudicium tulisse ut evincatur, cum non sim nescius omnem eorum varietatem excutiendam esse, tamen nunc intra libri quinti fines me continebo, aliis hanc materiem plenius tractandam relicturus, in qua quidem cum fructu quin possit quis etiamnunc versari non dubito. imminuit igitur libri Groningani fidem Heimreichius prolatis eiusmodi testimoniis quibus eum et singulis vocibus et versibus vel totis vel dimidiatis interpolatum ostenderet. atque eius generis e quinto quoque libro haec excerpi possunt: V, 1, 96 *rostra* N.

signa G. — 1, 117 *victor oliade* N. *oliade victor* G. transpositis ut versus staret vocabulis. — 2, 11 *praecepimus* N. *percepimus* G. inquinatus a glossatore qui ne praecipiendi verbo notio docendi subiceretur cavere voluit. — 2, 26 *gramina secta* N. *semina iacta* G.; de qua scriptura cfr. Burmannus. — 2, 41 *fama est* N. *cura est* G.; ad quem locum cfr. Jacobus et Hertzbergius. — 3, 7 iure omissa esse in N. verba *Bactra per ortus* quae exhibet G. demonstravit Heimreichius quaest. Propert. pp. 5 sqq.*) — 3, 11 *et parce avia noctes* N. *et pactae mihi noctes* G.; quo loco Hauptius in ind. Berol. aest. a. 1856. pp. 6 sqq. e N. vestigiis vere restituit *et pactae in savia noctes;* neque hanc elegantissimam coniecturam superavit Kochius in symb. ph. B. p. 327 scribendo *et pactae a coniuge noctes.* — 3, 14 *ab everso* N. *ab adverso* G. — 3, 52 *meas* N. *tuas* G. quem exemplis prorsus dissimilibus Hertzbergius contra Jacobum ad h. l. tueri conatur. — 4, 23 *omina* N. *lumina* G. — 4, 25 *nymphis* N. *lymphis* G. — 4, 34 *esse* N. *arma* G. futtili coniectura emendaturus vocabulum corruptum, pro quo olim Fridericus Gronovius egregie restituit *ora.* — 6, 22 *apta* N. *acta* G. quem me iudice post Broukhusium iniuria secutus est Lachmannus; neque enim *acta* iam dici possunt pila, dum proelium non committitur: itaque nescio an scribendum sit: *pilaque femineae turpiter apta manu.* — 6. 48 *invito* N. *et multo* G.; hoc fortasse inde ortum est, quod postquam *invito* in *multo* vocabulum facili corruptela abiit, versus fingendi causa librarius *et* particulam sensu carentem addidit. — 6, 55 *in* N. *et* G. inquinatus ni fallor ab interpolatore qui structuram inusitatam non perspexit. — 7, 7 *elata* N. *elapsa* G. — 7, 15 *vigilacis* N. *vigilantis* G. pro vocabulo exquisitiore reponens vulgare. — 7, 23 *in-*

*) Immerito tamen idem etiam vv. 8—10 partem posteriorem damnavit. neque enim semper, sed eo ipso tantum tempore quo haec epistula scripta sit in orientalibus regionibus stipendia meruisse Lycotam docetur vv. 35 sq.; 47 sq.; 67 sq. ablativo autem *eoa aqua* locum significari certum est coll. Propert. I, 14, 1. *tu licet abiectus Tiberina molliter unda - bibas;* v. etiam Hertzbergium I. p. 135. denique quaenam inter *ustus* et *discolor* vocabula intercederet ratio adnotavit Lachmannus.

clamavit N. *inclinavit* G.; de quo loco v. Jacobum et Hertzbergium. — 7, 51 *revolubile* N. *revocabile* G.; de quo versu cfr. Lachmannus et Hertzbergius. — 7, 55 *sortita* N. *quesita* G. quod apertum verbi *sortita* paulum ambigui interpretamentum est. — 7, 59 *parta* N. *vecta* G. quod vix perspicitur qua tandem corruptela e *parta* vocabulo nasci potuerit: ergo hic quoque spreta infelici G. coniectura N. vestigia tenenda sunt. e quibus, cum *coronato phaselo* probas mulieres molliter in Elysium delatas esse manifesto designaverit auctor, eiusdem coloris verbum reposuerim pro PARTA scribendo LAPSA*). coronato autem phaselo labi dicuntur mortui, ut eodem sententiae colore Ovidius Her. X, 65 *ut rate felici* inquit *pacata per aequora labar*. praeterea cfr. Ovid. Met. XI, 51; Verg. Aen. VIII, 91. — 9, 34 *vana* N. *vestra* G.; e corrupta N. scriptura quod verum est *fana* elicuit Scaliger. — 9, 40 *advatas* N. *ad natas* G.; quo loco merito N. secutus scribi iussit *ad vastas* Kochius in symb. ph. B. p. 329: neque enim Lachmanni interpretatione satis illa difficili languere desiit illud *ad natas*. — 9, 70 *exterminium* N. *eximii* G.; quod adiectivum cum Herculi, viro fortissimo, inditum omni pondere careat, ex absurda coniectura ortum esse apparet; nam unde in monstro illo *exterminium*, cuius *ni* syllabam dittographia natam esse manifestum est, profecta essent aut *ter* aut *um*? ergo ego quidem nullus dubito Heinsii coniecturam *aeternum* recipere, quippe quae et sententiae satisfaciat et corruptela quo modo orta sit ostendat. — 10, 27 *ę* N. *o* G.; atque hoc perspicuum sane est quid significet, non qui corrumpi potuerit. ergo N. vestigia secutus reposuerim *heu*, quod vocabulum ex eadem codicum corruptela restituit Muretus Propert. III, 12, 15. — 10, 34 *vinea qua ductum* N. *vineaque inductum* G.; de qua scriptura v. Lachmannum. — 10, 41 *Virtomanė* N. *Briomarus* G. — 11, 102 *aquis* N. *equis* G.; ubi e N. Broukhusius *avis* restituit. — his

*) Neque propter ipsam illam sententiae naturam scribi potest *rapta*, quod tamen verbum et a N. scriptura prope abest et saepe de mortuis usurpatur velut a Propert. V, 11, 66.

accedunt loci nonnulli, ubi N. exquisitiorem vel rariorem vocabulorum formam servavit. nam praeterquam quod semper fere *inprudens*, *inmerita**), *adiciam***) etc. exhibet, retinuit V, 3, 36 *equs****), 9, 36 *succepto;* praeterea qua corruptela ortum sit V, 10, 8 in N. *nec versum* explicari vix potest, nisi librarium scripturum fuisse *in ecversum* suspicari licet.†) — atque his quidem locis cum Groningani interpolati fides cedat Neapolitano, sunt tamen quamvis pauci quibus ille Neapolitanum superet. quos iam colligam: V, 1, 36 *ire* G. *isse* N. — 2, 3 *ego et* G. *ego* N. — 2, 58 *meta* G. *creta* N. — 5, 20 *pererrat* G. *perure* N. — 7, 65 *sua maternis* G. *summa aeternis* N. — 8, 69 *prostratus* G. *protractus* N. — 8, 78 *sudet* G. *sidet* N.; ubi e G. scriptura Kochius in symb. ph. B. p. 328 haud improbabiliter enucleavit *nudet operta.* — 9, 21 *torret* G. *torquet* N. — 9, 22 *festa* G. *faeta* N.; ubi nescio an quod Keilius in observat. crit. in Propert. p. 18 invenit *tosta* recipiendum sit. — 9, 38 *recepta* G. *suscepta* N. quo aperte genuinum verbum explicatur. horum autem cum quaedam coniectura inventa esse possint, alia tamen eodem modo nata esse vix probabile est, cum coniciendi necessitas nulla adesset, velut V, 2, 3; 8, 69; 9, 21. Heimreichius tamen quamcunque aliam eamque meliorem quam N. scripturam exhibeat G., eam ex interpolatione hominis satis indocti profectam esse coniecit. at ille cum menda quae quivis possit corrigere intacta reliquerit, num tam diligens fuit, ut lectiones probabiliores vel compluribus codicibus comparatis elegerit vel ipse suo ingenio nisus procreaverit? neque vero ex alio atque N. archetypo ductum esse G. demonstrari potest, quia innumeris corruptelis cum N. ei convenit. sed quoniam G. saeculo quinto decimo exaratus ex archetypo

---

*) Cfr. Brambachius de sermonis Latini orthographia pp. 301 sq.

**) Cfr. Brambachius l. l. pp. 200 sqq.

***) Cfr. Brambachius l. l. pp. 224 sq., 229 sqq.

†) Similiter V, 9, 3 quod verum est *ad ecductos* primum in *ad et ductos* ut fieri solet in hac praepositione corruptum, mox in N. *et advictos*, in G. *et adductos* factum est transposita quae offendebat particula *et*.

quem cum N. communem habet ipso descriptus non est, possint interpolationes quibus maculatus est profectae esse a correctore quodam versato illo in libro aliquo qui inter archetypum et ipsum G. interpositus sit. quae tamen coniectura refellitur minutis eis corruptelis quae nunc G. et N. communes sunt; illas enim cum corrector iste doctior in exemplari unde descriptus est G. sine dubio et ipsas sustulisset, nunc in solo N., non in G. inveniremus. quae cum ita sint, restat ut et G. et N. utrumque ex eodem archetypo eoque variis coniecturis interpolationibus interpretamentis obsito interpositis aliis libris ductum dicamus, sed ita ut is librarius cuius opus repetivit G. pluribus locis quam alter quem secutus est N. coniecturas et interpolationes receperit. et hinc quidem bene explicatur quod Heimreichius quaest. Propert. p. 4 ad III, 26, 19 in G. eadem manu adscriptum refert *alii: ponto*, quodque in N. G. V, 5 ante v. 55 propter Coam vestem repetiti sunt ex I, 2 vv. 1, 2. quos iure eiecerunt. nam si lena irrisura erat Propertium, ut Jacobo Hertzbergioque videtur, potius velut III, 16 vv. 15 sqq. quibus revera amicae pro pecunia versus dat poeta, laudabat quam hos qui luxuriam notant mulierum. itaque Groningani posthabenda est auctoritas Neapolitano neque tamen prorsus abicienda.

Iam vero ex archetypo tam corrupto omnia corruptelarum genera quibus soleant obnoxii esse codices in nostros quoque ut consentaneum est propagata esse paucis exemplis illustrabo. — age vero, primum singulas voces depravatas emendemus. quarum cum variae eveniant rationes, una est qua similes litterae bis exarandae semel tantum depictae sunt. ita exstant in N. G. V, 1, 33 haec URBEVIOLAE pro his URBEBOVILLAE, tum in N. V, 3, 1 hoc HARETHUSA pro his HAEC ARETHUSA. similiterque V, 1, 19 cum pro eis quae summo iure reposuit Lachmannus ANNUAATACCENSO haec scripta essent ANNUA ACCENSO, postea ut versus staret interpolata est *que* particula. haec autem exempla secutus succurrerim V, 2, 39: ubi quae codices exhibent *pastorem ad baculum possum curare* satis explicari vix

possunt. immerito enim Antonio Volsco olim dicere visus est Vertumnus se Pana factum oves pastoresque tueri posse, quia de dis vv. 31 — 34 locutus iam ad homines rediit. neque tamen id neglexit ille quod *curare aliquem* aliud non est quam *tueri defendere administrare*; cfr. Liv. III, 2 fin.; XXXVI, 18 init.; Cic. orat. III, 61; Horat. epist. I, 4, 15; Tacit. ann. IV, 36. atque quoniam hic est constans huius locutionis usus, eorum opinio spernenda est qui nostri versus integritatem demonstrare conantur his exemplis *censorem implere principem praestare consulem agere ducem exhibere* (cfr. Hertzbergius ad h. v.). quibus allatis Vertumnum pronuntiasse contendunt se pastorem agere posse. atqui haec notio dictionis *curare aliquem* altera, de qua modo locuti sumus, tanto est inusitatior, ut eius ne alterum quidem exemplum afferre possint: qua re Propertius si tamen hanc ei subesse voluisset, summae certe obscuritatis periculum subiisset. itaque cum coniectura loco medela afferenda sit, tamen quod Broukhusius scribendum esse coniecit *pastorem possum curvare* omisso *me* pronomine in aliam prorsus partem atque ipse voluit accipietur. neque a Propertio profectum esse potest quod Ayrmannus *pastor me ad baculum possum curvare* aut Heinsius *pastori ad baculum possum certare* legendum proposuerunt. uterque enim synaloepham minus elegantem admittit. Ayrmannus praeterea non animadvertit pastorem non ad baculum se curvare, sed baculo inniti; cfr. Ovid. ex Ponto I, 8, 52; trist. IV, 1, 11. neque Lachmannus significantissimum ut ita dicam baculi apud pastores usum animo informavit reponendo *pastor ego et baculum possum rurale - ferre.* ceteras autem coniecturas praetermitto, quia minus etiam vel sermonis consuetudini vel loci sententiae satisfaciunt. at profecto imitari se posse pastorem Vertumnus simpliciter professus est: quod et cetera huius narrationis exempla probant et ei senserunt interpretes qui hanc curandi verbo notionem perperam attribuerunt. hanc autem sententiam recuperamus pro his POSSUM CURARE scribendo haec POSSUM SIMULARE. ita enim simulandi verbo utuntur Propert. V, 11, 39; Horat. epist.

I, 19, 13; II 1, 240; art. poet. 20; Ovid. fast. IV, 517; Verg. Aen. VI, 591; Martial. II, 35, 1. ceterum ad locutionem *pastorem ad baculum* cfr. Propert. III, 17, 5.

Alias autem corruptelas codices traxerunt e vocabulis transpositis; nam transpositioni interdum, ut versus refingeretur, futtiles coniecturae additae sunt. cuius rei haec habemus exempla. primum V, 1, 101 N. G. tradiderunt *Junonis facite votum impetrabile*; deinde V, 7, 5 G. verba sic transiecit *cum mihi ab exequiis somnus penderet amoris*; tum V, 1, 117 G. transpositione facta corruptam scripturam *oliade victor* versui accommodavit; denique V, 7, 85 N. verbis corruptis et transpositis *tiburna iacet hac aurea* apposuit etiam in initio *set*; G. autem hanc transpositionem admisit *Tyburtina iacet hac aurea.* hac autem observatione ductus Heimreichius quaest. Propert. pp. 54 sq. V, 7, 64, ubi codices exhibent *pectora nota*, sic restituit *narrant historiae nota pericla suae.* iam simili medicina, si quid video, curare possumus V, 7, 57. quo loco cum codices tradant

una Clytemnestrae stuprum vehit; altera Cressae
portat mentitae lignea monstra bovis:

tres mortuorum sedes distinguuntur (cfr. v. 59), quanquam ipse poeta duas tantum, proborum et improborum, significavit v. 55. hanc autem ut abstergerent maculam, cum pro *altera* voce Livineius *unaque* Puccius *atraque* Lachmannus *ac rate* Jacobus vel *arteque* vel *ausaque* scribi iuberent, omnes, ut de sententia quam efficiunt taceamus, immerito vocabulum mutarunt cui sequens vox *altera* v. 59 aperte respondet. veram viam invenit Hertzbergius scribendo *unda Clytemnestrae stuprum vehit altera, Cressae —.* quem secutus est Hauptius, nisi quod is etiam *Cressam mentitam* scripsit. sed asyndeton quod admisit Hertzbergius ferri omnino nequit neque exemplis defenditur quae ipse collegit I. p. 125. ergo praesertim cum etiam Hauptii coniectura addenda sit, ne obscura fiat oratio, ego quidem dubito num locum ille persanaverit. atqui cur stuprum potius Clytemnestrae notavit poeta, quam caedem mariti ab ipsa perpetratam? quid? quod magis id miramur, quoniam vv.

63 sqq. cum Pasiphaae Andromeda respondeat, tum Clytemnestrae manifesto opposita est Hypermestre, ipsa ob id inprimis laudata, quod una sororum Lynceum maritum non interfecerat. itaque ut stuprum non Clytemnestrae, sed potius Pasiphaes cui magis id convenit a poeta memoretur, vocabula transposita leniter sic reformemus:

unda Clytemnestram vehit altera stupraque Cressae
portat mentitae lignea monstra bovis.

atque positionis legem in stupri voce neglectam exemplis firmavit Lucianus Muellerus de re metr. p. 318. quae prae ceteris quidem in primo et paenultimo hexametri pede inveniuntur, sed tamen in aliis etiam apud Horat. serm. II, 2, 36:

— *proceros odisse lupos? quia scilicet illis* —

et Lucret. V, 47:

— *quidve superbia spurcitia ac petulantia? quantas.* —

E litteris autem transpositis corruptela orta esse videtur V, 4, 85. quo in versu quod fertur *omnia praebebant somnos* cum ita tantum interpretari possimus, ut totus festi apparatus ipsumque tempus somnum afferre Romanis dicatur, id etiam versibus qui proxime antecedunt dictum videmus; neque non sentimus potius unum Jovem vigilantem omnibus ceteris somno sepultis oppositurum fuisse poetam. qua de causa neque cum Marklando *omnia praebebat somnus* neque cum Lachmanno *omnia praebebant somni* recipere licet, praesertim cum hae emendationes obscurius dicendi genus prae se ferant quo pro securitate appellantur *omnia.* veram viam ingressus est Kochius in symb. ph. B. p. 328 proposita hac coniectura *omnia torpebant somno.* sed a tradita scriptura nescio an propius etiam absit hoc *omnia carpebant somnos.* ceterum de hac locutione cfr. Verg. Georg. III, 435 et a. l.

Veniamus nunc ad eos locos qui omissa lineola qua M littera indicatur depravati sunt. qua corruptela sublata sanaverunt V, 10, 36 pro eo quod libri tradunt *gradu* scribentes *gradum.* eandemque medicinam adhibendam esse censeo V, 4, 72 cuius traditam scripturam *abscisso fertur aperta sinu* a puro sermone abhorrere Lachmannus admonuit. sed corrupit hunc

versum Heimreichius in symb. ph. B. p. 679 codicum memoriam ita mutando *abscisso pectus aperta sinu;* quanquam Hauptio probavit hanc emendationem. nimirum, ut exemplis appositis ostendit, vestis sinum abscissum arbitratus non animadvertit Strymonida non Maenadum sed Amazonum turbae interponendam esse propter Thermodontis mentionem. quod flumen constanti usu poetae veteres Amazonibus attribuunt, velut Propert. IV, 14, 13 sq.; Verg. Aen. XI, 659; Sil. Ital. II, 73 sqq.; VIII, 433; Stat. silv. I, 6, 56; Valer. Flacc. IV, 601 sqq.; V, 121 sqq.; Seneca Med. 215; Hercul. fur. 250; Hercul. Oet. 21; Oedip. 490; Apollon. Rhod. B, 370 sqq.; 970 sqq. abscissum igitur sinum dictum esse apparet de mammis exsectis, quibus nudatis (cfr. Propert. IV, 14, 13 sq.) pugnam Amazones ingrediuntur. ergo legendum esse puto *abscissum fertur aperta sinum:* qua emendatione *aperta* verbum invenit quo referretur. nam quod Broukhusius scribi iussit *abscissos sinus* plurali numero, vereor ut latine dici possit de pectore inprimisque de Amazonum mamma exstirpata. at, inquis, num tu puellam amantem cum Amazonibus currentibus conferri opinaris? audio, sed de hac re postea locuturus sum.

His quae modo tractavimus similia menda eveniunt aut omisso aut addito compendio quo N. littera signatur; cfr. Ribbeckii proll. Verg. pp. 259 sq. qua ratione factum est, ut legamus V, 4, 15 pro *hinc* in G. *hic;* 6, 60 pro *en* in N. *est* i. e. *ê*; 7, 2 pro *evictos* in N. *eiunctos;* 9, 65 pro *hic* in G. m. pr. *hinc.* atque his animadversionibus usus succurram V, 1 v. 139, quem codices me iudice mendosum sic exhibent:

nam tibi victrices, quascunque labore parasti,
eludet palmas una puella tuas.

neque enim laborem opus epicum, quod condi coeptum hoc carmine reprobasse Propertium interpretes statuunt, appellari et sententia ipsa quae sic evadit inepta arguit et postea clarius etiam aliis argumentis apparebit. tamen ita hunc locum intellexisse videtur Eschenburgius in lib. miscell. p. 99. immo de aerumnis quibus pressus est Propertius de palmis illis certamen ingressus, hic non potest non intellegi laboris

vocabulum. neque vero palmas magnis laboribus vix reportatas totius sententiae indoles et natura fert. quid enim? quicunque hic loquitur, sive Apollo sive horoscopus, unam certam puellam pro omnibus quas iam devicerit Propertius poenas sumpturam esse sua erga amicum superbia et crudelitate pronuntiat. quae frequens est poetarum elegiacorum sententia; cfr. Propert. I, 13, 5 sqq. atqui quid est istud? nova amica eas puellas ulciscitur sua superbia, quarum ipsarum fastus vix superavit poeta? facilem eum de illis victoriam reportasse nonne potius dicendum erat? ergo cum totam sententiam simplici *labore* voce inverti sensisset, Heinsius ut eius modi quem significavimus enuntiatum eliceret, proposuit *victrici labore.* tamen viro eximio non assentior, quia et *victrices palmas* expulit quas bene sese habere ostendit Horat. epist. I, 3, 25 et Seneca Agam. 994 sq., neque sententiam satis perspicuam effecit. quam assequimur, si palmas victrices, quas nova amica ei ereptura est, poeta per amorem ab aliis puellis sibi parasse dicitur. ergo haec LABORE mutabimus ita ĪAMORE. nam quas *in amore* palmas rettulit, eas eludere novae amicae superbia recte dicitur. ceterum I. visa L. ut V, 2, 35 *eius* N. *eius;* 4, 1 *Tarpeiae* N. *Tarpelae;* 5, 36 *maiis* N. G. *malis;* cfr. Ribbeckii proll. Verg. p. 246; tum M. visa B. ut V, 8, 15 *Cynthia mannis* N. G. *Cynthia ab annis;* cfr. Ribbeckii proll. Verg. p. 238. — simili ni fallor corruptela laborat V, 10, 42 *nobilis erectis fundere gaesa rotis*, cum *erectae* quae sint rotae explicari omnino non possit. Hertzbergius scripsit *e rectis;* at magnopere hoc languere, nisi addatur vocabulum quo rectoris ars laudetur, ipse Caesaris locus de b. G. IV, 33 docet. sed iure idem Lipsium *e tectis* scribentem sequi noluit, quoniam illud neque ullo testimonio nititur et tales currus describit unde gaesa fundi non possint. Heinsius vero reponendo *aeratos* non falcigeros ut voluit, sed aere munitos effecit currus; at hi propter ipsorum pondus minus accommodati erant ad eam pugnandi rationem, in qua curribus Gallos usos esse Caesar testatur. ad hanc autem si respicimus, nonne cum aliqua probabilitate scribere licet *invectis?* Caesar enim

de b. G. IV, 33 *primo* inquit *per omnes partes perequitant et tela coniciunt atque ipso terrore equorum et strepitu rotarum ordines plerumque turbant et cum se inter equitum turmas insinuaverunt, ex essedis desiliunt et pedibus proeliantur.* itaque cum IUECTIS scriptum esset, U visa est R.: de qua re cfr. Ribbeckii proll. Verg. p. 254.

His adiungam eos locos, in quibus pro M. littera exaraverunt librarii U.; cfr. Ribbeckii proll. Verg. pp. 249 sq. quo in genere primum V, 1 v. 71 e codicum scriptura hac *quo ruis inprudens vage dicere fata Properti* restituit Heimreichius in symb. ph. B. p. 647 sq. scribendo *mage.* alter est versus V, 5, 29; ubi quod libris traditum accepimus *et simulare virum pretium facit* apto sensu caret. nam ut viri adventum simulet, a lena admoneri puellam iure negavit Lachmannus exposita sermonis in simulandi verbo consuetudine. neque Hertzbergius ita hunc locum interpretatus quasi adhortetur mulier puellam, ut simulatione ex adulescente lucrum faciat, quidquam profecit, quoniam *pretium facere* non idem valet quod *quaestum facere,* sed aut venditoris aut emptoris est pretium alicui rei constituentis; cfr. Plaut. Pers. IV, 4, 37; Martial. I, 85, 7; Liv. XXIV, 15; XXVII, 17 fin.; Cic. pro Quinct. 15, 20. abest prope ab Hertzbergii sententia quod dicunt *operae pretium facere*, sed id tamen eodem modo explicandum. quid? quod id ipsum evincit accusativum velut *virum* cum illa locutione coniungi non posse. itaque etiam V, 1, 81 *nunc pretium fecere deos*, quem locum contulit ille, corruptus est scribendumque *nunc pretium fecere deis* i. e. singulis deis astrologi suum constituerunt pretium, quo soluto deum certum quendam apparere sciscitantibus mentiuntur. quod cum ita sit, ne nostro quidem loco *virum* nomen sanum est. sed suasit sine dubio virgini Acanthis, ut c u n c t a n d o Veneri maius pretium constitueret, lucrum augeret. quae sententia requiritur non solum v. 30 *maior dilata nocte recurret amor,* verum etiam verbis *utere causis*, adhortantibus illis quidem puellam, ut nescio quae impedimenta excuset. haec enim notio ut in causandi verbo inest, ita etiam in causae nomine apud Verg. Aen. IV, 51; Tibull.

I, 6, 26; Terent. Eun. 138. itaque cum singulis distichis singulas semper sententias incluserit lena, hic quoque eam quam modo circumscripsi per totum distichon persecuta esse existimanda est. qua de causa probari nequit quod Heinsius proposuit vel *exstimulare virum* vel *simulare iram* vel *simulare metum.* quarum emendationum prima repetit etiam praeceptum vv. 31 sq. datum, secunda tertiaque unam tantum eamque tam singularem cunctandi causam affert, ut vix conveniat cum illo *utere causis* prorsus in universum dicto. sed eadem de causa qua illud *exstimulare virum* displicet etiam quod Hauptius scripsit *stimulare iram.* ipse eam sententiam, quam huic loco unice aptam esse supra contendi, recuperare conatus sum scribendo *et simulare moram pretium facit.* de A. visa U. cfr. Ribbeckii proll. Verg. p. 236. neque vero hoc praeceptum iterum datur vv. 33 sq.; quibus cum de Venere iam promissa, sed postea dilata mentio fiat, hic puellam callida Acanthis monet, ut antequam sui copiam se facturam esse promittat, amatorem fictis moris magis etiam exstimulet.

Hac re exposita nunc placet proferre exemplum litterae H. in N. corruptae: id quod usu venire firmat G. V, 2, 5 pro *haec* exhibens *nec;* cfr. Ribbeckii proll. Verg. p. 246. atque V, 2, 19 Vertumnum his verbis:

mendax fama, noces: alius mihi nominis index,

cum ipse sit alius ille nominis sui interpres, mirum in modum sequentibus his:

de se narranti tu modo crede deo

praefari olim vere iudicavit Lachmannus. neque quidquam iocosi in ieiuna ista enuntiatione inesse ceteris editoribus concesserim: cfr. Jacobus Hertzbergiusque ad h. v. sed quod proposuit vir egregius *falsa es mihi nominis index* non sine iusta causa displicuit Hertzbergio propter eius quae proxime antecedit sententiae *mendax fama, noces* molestam repetitionem. at haec ipsa num vitio caret? cui enim n o c e t quod fama falsam Vertumni nominis originem ementitur? profecto neque ipsi Vertumno neque auditori. quodsi tam vanum est illud nocendi verbum, cur famam mentitam esse

simpliciter dicere noluit auctor? quo facto sententiam totius loci stare apparet e v. 20. is autem ipse requirit, ut adloquatur deus auditorem, propter *tu* pronomen. quare huius loci sententiam certe restituisse videmur hac facta emendatione:

mendax fama, hospes, male fit mihi nominis index.

qua mutatione, cum cetera verba incertiora esse confitear, tamen hospitis nomen vere inventum esse putaverim. nam coram hospite verba facere Vertumnum infra demonstrabo.

Age iam litterae L. visae R. exempla quaedam colligamus; cfr. Ribbeckii proll. Verg. p. 247. hanc enim permutationem, cum usu veniat V, 3, 34 *in radios:* N. G. *in gladios,* itemque V, 3, 55 *Glaucidos:* N. G. *Graucidos,* inveniri mihi persuasum est etiam V, 7, 69. quem versum libri fere sic produnt:

sic mortis lacrimis vitae sanamus amores.

ac primum quidem *lacrimae mortis* quae sint nemo excogitabit. nam si Hertzbergius recte lacrimas apud inferos fusas intellexisset, addito *mortis* nomine carere possemus, quoniam Cynthiam cum ceteris mulieribus illis apud inferos versari scimus. quid? quod per sermonis leges ne licet quidem, si quid video, ita explicare genetivum *mortis.* atqui de lacrimis propter mortem mulierum fusis vel ea de causa nemo cogitabit, quod eis amores non sanantur. ergo verum vocabulum corruptum est quaesita *vitae* nominis oppositione. praeterea autem sanandi verbum ferri nequit. nam ut omittam e poetarum elegiacorum opinione ne morte quidem ipsa amores sanari, non poterat haec dicere Cynthia Propertio. quid enim? si sanasse se amores suos nuntiat, profecto ipsi amatori, cuius perfidiam increpat vv. 13 sqq., se ipsam veteris amici memoria non iam teneri profitetur. eandem autem fere sententiam cum procreent quae propositae sunt emendationes *solamur* et *satiamus,* ne eae quidem admittendae sunt. sed quod Marklandus invenit *vitae sanamus amara* non plane displicet Hertzbergio; neque tamen mihi videtur ferri posse: vitae amara non lacrimis sanantur, sed ipsa morte quae omnia finit; accedit autem quod v. 70. *amores* vocabulum tuetur. hoc enim Cynthia cum multa se celasse dicat crimina perfidiae

a Propertio commissa, significat profecto se Andromedae Hypermestraeque de amore suo locutam esse. atque similia etiam ab illis narrata esse docent vv. 63 sqq. hanc autem expositionem sententia generali claudit v. 69: nam huic rei inservit *sic* particula. quae si vere statuuntur, *amores* nomen sanum, sed scribendum est *vitae narramus amores.* similem protulit sententiam de mulieribus apud inferos congregatis Propertius III, 28, 27. ceterum de N. visa S. et de R. visa N. cfr. Ribbeckii proll. Verg. p. 250. hinc autem de *mortis lacrimis* quid iudicandum sit, facilius perspiciemus. probabilis enim et adeo expressa e mulierum natura sententia evadit, si misere lacrimantes suos inter se amores narrasse dicuntur probae uxores. apparet igitur in genetivo illo latere adiectivum quod de lacrimis dici possit. quod tamen non repperit Heinsius scribendo *ortis;* nam hoc recte dicitur de eis qui subito obortis lacrimis locuntur, neque vero de mulieribus quae longas lamentationes effundere solent. itemque displicet *maestis* quod Burmannus scribi iussit, quia sententiae novi nihil addit. ego totum versum sic reformaverim:

sic multis lacrimis vitae narramus amores. —

eiusdem generis addam alium locum V, 2, 42. ubi quod codices exhibent:

hortorum in manibus dona probata meis

ad hortos Vertumni manu sive artificio et cultu bene curatos et laetos fructus ferentes cum Jacobo referre non licet. neque enim aut probandi verbo haec notio est aut *in* praepositio addi poterat. accedit quod versus sequentes Vertumnum potius loqui ostendunt de fructibus qui ipsi dono dentur; cfr. prae ceteris vv. 45 sq.:

nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
impositus fronti langueat ante meae.

qua de causa cum probandi verbum sensu careat, scriptum olim fuisse suspicor *locata.* quo verbo in simili re usus est Catullus 65, 21 sq.:

malum,
quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
dum adventu matris prosilit, excutitur.

ceterum ubi *rocata* scriptum est, mox littera P. addita est, ut V, 3, 34 pro *radios* voce positum est *gladios* etiam adiecta una littera.

Deinde versuum initia facillime corruptelis affici observamus. cuius rei habes exempla in his versibus: V, 1, 6. *quod* N. *quo* G. *qua* Heinsius. — 1, 43 *tum* G. *cum* N. — 1, 59 *si* G. *sed* N. — 1, 146 *lumina* N. *limina* G. — 2, 5 *nec* G. *haec* N. — 2, 9 *at* pr. m. om. G. — 2, 42 *tortorum* G. *hortorum* N. — 2, 49 *at* G. *et* N. — 3, 1 *Haec Arethusa* N. *Haec Arethusa* G. — 4, 15 *hic* G. *hinc* N. — 5, 56 *ipsius* N. *istius* G. — 6, 3 *cera* N. G. *ara* Hauptius. — 6, 74 *perque* N. *terque* G. — 7, 7 *hosdem* N. G. *eosdem* edit. — 7, 30 *iusisses* G. *iussisses* N. — 8, 39 *nile tuus* N. G. *Niloten* Scaliger. — 8, 41 *magnus* N. G. *nanus* Beroaldus. — 9, 9 *insula* N. G. *incola* edit. — 9, 57 *magnam* N. G. *magno* Lipsius. — 11, 14 *et* N. *en* G. — 11, 30 *atra* G. *Afra* Scaliger. — similiter autem V, 1, 40 ubi sine iusto sensu codices tradunt *heu* in hac sententia:

heu quali vecta est Dardana puppis ave

non *o* quod ferunt editiones reponendum est, sed *en*: quo in interrogationibus idque mirabundus sicut hic Propertius etiam Verg. Aen. IV, 534 et Cic. pro Sestio 27, 59 usus est. — neque verum est quod V, 4, 63

etiam quarta canit venturam bucina lucem

propagarunt N. G. *et*: qua particula conectuntur semper orationis membra: at hic Tarpeia longam suam orationem ipsa abrumpit. ergo scribendum est *sed*. — praeterea V, 7, 37:

at Nomus arcanas tollat versuta salivas

N. exhibet *aut* quod certo falsum est: neque *at* particulae quae fertur in G. locus hic est, quia hoc distichon priori nullo modo oppositum est. repone igitur *et*; pro quo etiam V, 2, 49 in G. legitur *at*. — atque eodem modo videtur depravatus esse locus qui V, 9, 73 sq. sic legitur:

hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
sic Sanctum Tatiae composuere Cures.

Hertzbergius enim modo Herculem modo eius aedes pronomine *hunc* significari exemplis minime aptis demonstrare

conatur. quidni enim ab Ovidio fast. VI, 91 sq.:

venit Apollinea longas Concordia lauro
nexa comas, placidi numen opusque ducis

deam ipsam, cuius cultum restituerit Tiberius, eius opus poetica libertate vocari censeamus? namque deae templum ad se venisse loquendi causa (cfr. vv. 13 sqq.; 93 sq.) inepte diceret poeta; atqui in hoc periculum vocatur ille Hertzbergii interpretatione. altero autem loco fast. I, 639 sq.

nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam:
nunc te sacratae restituere manus

intellegere videtur Ovidius utroque versu deae statuam edito loco, unde hominum turbam prospicere poterat, fortasse ante templum ipsum collocatam. quid? quod etiamsi ipsam deam significasset, tamen haec quoque in integrum restituta recte diceretur, quia eius aedes renovatae erant. neque vero componendi verbum simplicem aedificandi notionem habere probavit idem interpres. nam Ovidius fast. I, 708:

fratribus illa deis fratres de gente deorum
circa Iuturnae composuere lacus,

de templis loquitur quae Ledaeis deis una dicata sunt; similiterque usus est hoc verbo Propertius II, 6, 5. verum a tali explicatione qualem ille protulit abhorret etiam huius loci sententia, quippe quae id tantum aperte desideret, ut Hercules propter orbem purgatum Sancti, dei Sabini quem et ipsum inde nominatum dicunt, quod sanciat, nomen vel cultum accepisse dicatur. Sanctus autem sive Sancum appellare malis, etiam Dius Fidius, quem alii Herculem vocabant, esse putabatur; cfr. Merkelius ad Ovid. fast. p. CCIX sq. atqui simili modo cum Hercule Sanctum a Sabinis coniunctum et confusum esse manifesto indicat Propertius. cfr. Festus p. 229 M.: *propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco qui scilicet idem est deus.* ergo age scribamus nostrum distichon una litterula mutata sic:

huic, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
sic Sanctum Tatiae composuere Cures.

quo facto Sanctus Herculi comparatus esse fertur ex usita-

tissima componendi verbi notione. ceterum de monosyllabo *huic* cfr. Propert. V, 1, 54 et Lucianus Muellerus de re metr. p. 269. — denique ex eodem versuum genere tractabimus V, 4, 93 sq. qui in libris sic fere leguntur:

a duce Tarpeio mons est cognomen adeptus:
o vigil, iniuste praemia sortis habes.

atqui versus posterior sana sententia prorsus caret. quid enim sibi vult illud *sortis?* credunt quidem poetam indigne ferre quod Tarpeia suo nomine monti indito praemium habeat pro mala sua sorte. nam *sors*, quoniam vox est media, per se quidem in malam partem trahi potest. at Propertius qui Tarpeiam merito interfectam dicit vv. 17 sq. et v. 92, num mortem eius malam sortem et infortunium iniquum esse concedet? ergo potius, vitato vocabulo quo tale misericordiae signum contineatur, miratus, quod a proditrice puella mons Tarpeius nomen acceperit, scripsisse putandus est hoc:

o vigil, iniuste praemia mortis habes.

ita enim „cum mors" inquit „proditionis tuae vel parum gravis poena sit (cfr. vv. 17 sq.), tu pro morte etiam praemium habes, quasi de patria morte tua bene merita sis". hinc iam de versu praecedente melius iudicari licet. in quo omnes fere critici qui sano iudicio utuntur, cum de Tarpeio patre post narrationem quae antecedat dici non posse consentiant, legunt una littera mutata *a duce Tarpeia.* sed si v. 94 necessaria ut speramus emendatione proposuerimus *mortis*, hic ipsa sententiae vi cogente recipiendum erit quod Bassanus invenit *a nece Tarpeiae.* cfr. Lachmannus ad h. v. et haec emendatio non solum constanti fabulae memoria qua mons Tarpeius non a duce Tarpeia, sed ab interfecta revera nomen traxisse traditur, verum etiam vv. 1 sq. commendatur quibus montis nomen ortum esse indicat auctor a morte virginis: cfr. v. 1. *Tarpeiae turpe sepulcrum* quod testimonium plus etiam ponderis assequitur totius carminis compositione qua vv. 1 sq. et vv. 93 sq. sibi respondere videbimus.

Versibus in initio corruptis contrarii sunt qui in exitu vocabula depravata ostendunt. sunt autem sic affecti hi ver-

sus: V, 5, 19 *perure* N. *perurat* G. *pererrat* Wakkerus. — 6, 25 *nervis* N. *in arcus* G. — 8, 39 *Phyllis* G. *Phillis* N. *Phidis* Burmannus. — 9, 34 *viis* N. *viris* G. — 9, 60 *fuit* N. G. *fluit* Fruterius. — 11, 70 *malis* G. *meis* Lachmannus. — 11, 77 *mater* N. *matris* G. — hinc profecti non dubitabimus V, 8, 58:

territa vicinas Teia clamat aquas

pro eo quod codices propagant *aquas* Puccii ut videtur emendationem *anus* recipere; cfr. Jacobus ad h. l. unusquisque enim, si incendium fit, non *vicinas aquas*, sed *aquas* clamat. neque vero, ut Hertzbergio visum est, captae urbis spectaculum (cfr. v. 56) perit admissa hac lectione. nam expugnata urbe hoc quoque evenit, ut homines auxilium cum clamore expetant a vicinis. denique meretrices mulierum sordidarum familiaritate et praesidio frui solent. — his adiungemus eiusdem corruptelae exemplum V, 4 vv. 59 sq.:

commissas acies ego possum solvere: nuptae,
vos medium palla foedus inite mea.

quibus versibus nuptae mulieres, ut foedus ineant cum Tatio, temere monentur a Tarpeia. neque enim illae inire, sed componere tantum foedus inter Romanos et Sabinos possunt. deinde post illud *nuptae* nonne v. 62:

credite, vestra meus molliet arma torus

mulieres circumscribi putabimus pronomine *vestra?* quanquam hoc enuntiatum dici non posse nisi de viris pugnantibus in promptu est. postremo Tarpeia, cum vel v. 62 adseveret se Tatio in iustum matrimonium datam propinquos a pugna retinere posse, tamen v. 59 quo eandem rem haud dubie repetivit commissas acies se soluturam esse pollicita id, in quo sententiae pondus est, conubii nomen omittit. quas difficultates ut effugiamus, una littera deleta totum distichon ita scribamus:

commissas acies ego possum solvere nupta:
vos medium palla foedus inite mea.

qua emendatione facta v. 60 et v. 62 viros pugnantes adloquitur virgo. ceterum v. 59 corrupit fortasse librarius hic iusto doctior qui intercedentibus mulieribus infestas Roma-

norum Sabinorumque acies diremptas esse post Capitolium captum memoria tenuit.

Denique his addamus corruptelas ortas e scriptura continua perperam distincta; cuius luculentissimum ostendit exemplum V, 7, 61 ubi N. G. pro veris *quaque aera rotunda* tradunt *quaque quaerar ut unda.* et similiter videntur depravati esse V, 8, vv. 87 sq. ubi in eo quod codices exhibent:

atque ita mutato per singula pallia lecto
respondi et toto solvimus arma toro

duplex corruptela notatur. primum enim *toto toro* vocabula sanam sententiam vix habere vere monet Jacobus. neque tamen idem Puccii coniecturam *tuto toro* iure suo commendat, quoniam infestus fuisse Propertio propter meretrices torus nusquam dicitur; languet igitur illud *tuto toro.* atque eadem de causa displicet post v. 85 quod Dousa pater scribi voluit *loto toro.* sed, ut aliorum coniecturas praetermittamus, verum invenit olim Heinsius scribendo *noto toro.* nam cum v. 28:

mutato volui castra movere toro

et v. 34:

et Venere ignota furta novare mea

novam amicam se quaesivisse Propertius dixerit, iam tamen cum vetere *noto toro* pacem se fecisse lepidissime nec sine sua ipsius quadam irrisione confitetur. ergo horum versuum responsione haud dubie Heinsii emendatio stabilitur. verum etiam *respondi* verbum tolerari non posse omnes concedunt. nam de stipulationibus per sponsionem acceptis, de quibus usurpari solet hoc verbum, iam v. 81 dixit poeta. substitui autem posse eum Puccio *despondi* firmis argumentis negavit Hertzbergius. idemque quod Heinsius *et sponda* et quod Marklandus *et spondis* scribendum proposuit iure respuit, quoniam sententiae non satisfaciunt. neque tamen ipse feliciores coniecturas protulit hasce: *et spondae iniecto solvimus arma toro* vel *spondae iterum iniecto solvimus arma toro;* quae antecedentis versus sententiam languide vel repetunt vel explicant. minus etiam probari potest quod Kindscherus in Mus. rhen. vol. 17. p. 229, respiciens ille quidem ad vv. 27 sq., scribi iussit *sos-*

pite sic voto solvimus arma toro. neque enim, qui votum quo potitus nondum sit sospes appellaverit, ullum ego invenio scriptorem. denique nuper Kochius in symb. ph. B. p. 328 locum scribendo *ascendi* reformasse sibi visus est. atqui cum Cynthia quoque ascenderit in cubile, singulari numero vel iuxta pluralem *solvimus* uti nequit Propertius. nam prorsus supervacaneum esse, quoniam sponte intellegatur, quod inferat vir doctus praetermitto. itaque ipsi periculum faciemus huius versus emendandi observata totius loci indole. quare si non quod necessarium, at certe quod probabile sit spero nos inventuros esse. atqui postquam inde a v. 55 belli spectaculum depictum sit (cfr. v. 56, 61, 63, 70), nemo non sentit inde a v. 71 foederis icti vel pacis factae imaginem proponi translatis ex harum rerum arte vocabulis. itaque eius generis verbo utitur Cynthia v. 74 *formulam legis* nuncupans: cfr. Liv. XXVI, 24; XXXII, 33; Cic. de leg. I, 4; pro Roscio com. 4. eundemque colorem servant v. 81 *leges indixit* verba, dicta illa quidem de sponsionis quas nos vocamus conditionibus; cfr. Verg. Aen. XI, 322; Ovid. Heroid. XII, 39; Liv. XXXIII, 30; Verg. Aen. XII, 315. similiter autem respondendi verbum v. 81 usurpatum esse iam monuimus: cfr. Plaut. Capt. IV, 2, 119. itaque in certas leges foedus per sponsionem cum Cynthia se iniisse Propertius narrat, ita tamen ut illius leges simpliciter acciperet (cfr. v. 81), illi suas imponere non auderet. iam vero v. 88 eodem pacis factae exemplo servato noto toro cum Cynthia *arma solvisse* se refert: cfr. de hac locutione Lachmannus ad h. v.; rata sponsione revera pax facta est. hac autem observatione ducti nonne cum aliqua probabilitate totum nostrum versum sic reformare possumus:

de sponsis noto solvimus arma toro?

assumpta igitur Heinsii emendatione pro his RESPONDIETTOTO reponimus haec DESPONSISNOTO. neque vero sine ioco quodam secundum sponsionis leges arma se posuisse dicit poeta.

Iam hinc ut ad graviora menda transeamus, exempla colligemus carminum perperam conglutinatorum.

quo in genere nuper Heimreichius in symb. ph. B. pp. 674 sq. inde a carm. V, 1 v. 71 novum incipere carmen demonstravit quo poeta non epici carminis componendi consilium, ut arbitrabantur interpretes, abicit, sed horoscopus nescio quis triste prodigium vaticinatur Propertio. neque tamen omnia ille explanavit. initio enim carminis fatorum Propertii canendorum consilio capto, ut vera se posse vaticinari affirmet (cfr. vv. 75 — 80), vv. 89 sqq. expromit oracula antea ab ipso data quae vera fuerint. sed inter hos versus nunc leguntur vv. 81 — 88 non una difficultate impediti, sed etiam ab argumento, in quo explicando nunc versatur Horos, prorsus absoni. nam, ut singula primum videamus, ubi *nunc* inquit ille *pretium fecere deis*, opponit eorum qui suo tempore vivunt Chaldaeorum perfidiam et mendacia eorum qui antea fuerunt fidei. attamen de priorum veritate nulla omnino mentio facta est neque fieri potest ulla, quoniam id agit Horos, ut se suique temporis astrologos omnia vera solos vaticinari adseveret neque vero eos qui ante ipsum floruerint. huc accedit, quod illa *obliquae signa iterata rotae*, quae manifesto non habent unde pendeant, utcunque explicari velis, vix ita interpretari poteris, ut non aut corrupta aut eis quae sequebantur omissis obscuriora esse concedas. unde vero pendent vv. 83 — 86? verbo *dicam* v. 87 si reguntur, quae editorum opinio esse videtur, ea quae secuntur *Troia cades et Troica Roma resurges* qua structura teneantur non liquet. quid? quod horoscopus non opus astronomicum conditurus, sed Propertii fata editurus est. quorsum igitur illud: *felicesque Jovis stellas dicam?* ergo etiam vv. 83 — 86 frustula esse concedes e suo sententiarum ordine exturbata, etiamsi, ut quidam voluerunt, reposueris pro *stellas* accusativo nominativum *stellae*. minus etiam Troiam captam et victorum errores Horos compositurus est. quid igitur huc pertinet v. 88:

et maris et terrae longa sepulcra canam?

at, inquit Jacobus, cum *dicam* et *canam* verba non futura, sed praesentis temporis coniunctivi sint, posse se illa, si res ferat, vaticinari horoscopus profitetur; cfr. Hertzbergius ad h. l.

scilicet ut fidem suam firmet, Graecorum sub Troiae moenibus et postea in mari pericula omnibus nota et decantata praedicere se posse gloriatur. sed his omnibus fragmentis omissis vv. 89 sqq. optime secuntur v. 80: nam promissam fidem sic excipiunt ipsius rei testimonia. atque vv. 89 — 102 arctissime cohaerere cum vv. 79 sq. evincit v. 102:

illa parit, libris est data palma meis,

comparatus cum v. 80:

inque meis libris nil prius esse fide.

nihil tamen lucramur vv. 87 sq. post V, 1, 70 vel vv. 83 — 86 post V, 1, 108 Scaligero auctore transpositis. sed vv. 81 — 86, quippe qui de astrologia sint, in eo quod v. 71 incipiat carmine locum suum, sed alium atque nunc teneant habuisse apparet: abhorrent autem ab eiusdem argumento vv. 87 sq. qui Troiae Romaeque et Graecorum victorum fata nescio quem cantaturum esse promittunt. — verum similis natura ut eorum, de quibus modo locuti sumus, est etiam vv. 103 — 118. primum quid tandem sit *hoc* v. 103 quod Jovis Libyci antrum non explicet e versibus antecedentibus nemo eliciet; sed expulsum esse hunc locum e suo sententiarum nexu manifestum est. porro cuiusnam rei exemplum Calchas dicitur v. 109? an hac ratione Horos demonstraturus est hoc quod v. 103 tangat usitatis vulgaribusque oraculis pronuntiari non posse? at mirum profecto hoc erit testimonium a re prorsus dissimili petitum. neque enim Calchanta vaticinandi ignarum fuisse, sed oraculis suis quae bonum eventum sperare licerent in exitium Danaos vocasse auctor manifesto significat. atqui hoc ipsum vatis peccatum cur notat Horos qui suis oraculis fidem facere studet? ergo vv. 109 sqq. horoscopi fidem et auctoritatem non modo non confirmant, sed invertunt etiam. iam vero de vv. 113 sqq. consilio quid iudicabimus? horoscopus suae fidei documenta editurus quid Troiam captam consolatur, quid Aiacem libidine sua in perniciem ruentem deridet? at *historiae* (cfr. v. 119) eis narrantur ideoque loco moveri nequeunt. verum etiam vv. 89 — 102 historiae exponuntur eaeque, sicut quae vv. 119 sqq. proferuntur, etiam ex oraculis ab horoscopo

datis haustae. qua de causa vv. 119 sqq. melius etiam v. 102 excipiunt, quam v. 118. attamen de *novis lacrimis* v. 120 poeta locutus videtur Lachmanno ad illud priscum Graecorum infortunium respiciens. quod si fecit, lacrimas pro adversa fortuna nuncupans locutione, ut mihi videtur, non solum plane inusitata, sed ea usus est quam nemo ad Graecorum perniciem facile referat. ergo cum verbis *nunc ad tua devehar astra* haud dubie Chaldaeus iam Propertio oraculum se editurum esse pronuntiet, ex huius sententiae indole pro LACRIIS interim, dum melius quid inveniatur, repone SACRIS. quo vocabulo oraculum, quae eius est gravitas et ipsius vaniloquentia, appellare poterit Babylonius Horos Archytae soboles. itaque ne haec quidem Lachmanni adnotatio impedit, quominus vv. 103—118 expellamus. eiectis autem his versibus bene procedit oratio a v. 102 ad v. 119. restat, ut illi quo pertineant quaeramus. atque vv. 103—108 huius carminis quod vatis nostri vaticinium contineat partem efficere iterum astrologiae mentio probat. nimirum *hoc* quod explicare Iuppiter Ammon nequit illud est quod Horos Propertio vaticinaturus est. sed locus, quem sententia haec sine dubio mutilata ceteris deperditis in hoc carmine olim obtinuisse potest, unus tantum relinquitur. nam v. 80 et v. 89, tum v. 102 et v. 119 bene cohaerere vidimus, nisi ante v. 89 et post v. 102 alia exciderunt exempla fidei quam sibi vindicat Horos. neque inter vv. 71 — 80 aut vv. 89—102 aut vv. 121—150 alios versus interponere licet, praeterquam quod ne sententia quidem vv. 103 sqq. his locis accommodata est. quibus observationibus efficitur, ut uno tantum loco, inter v. 120 et v. 121, inseri posse putemus vv. 103 — 108. atque postquam vv. 119 sq. Propertio vaticinium promisit, statim eius gravitatem (cfr. v. 103) pro sua magniloquentia haud inepte efferet Horos laudata etiam astrologiae virtute vv. 103 sqq. cui consilio etiam vv. 81—86, de quibus supra disseruimus, inservire videntur. ab hac autem artis suae laude recte transgreditur vates ad vv. 121 sqq. quibus ipsa hac arte poetae patriam gentem vitam novisse se simulat (cfr. v. 122). ergo vv. 103—108 unaque vv. 81—86

suam sedem hic olim habuisse suspicor, sed singula vincula, quibus haec fragmenta inter se iugata erant, non iam contingit ut eruamus. ceterum vv. 109—108, quos et ipsos loco movimus, ut vv. 87 sq. ad aliud de Troiae clade carmen pertinere in promptu est. — atque eiusdem argumenti sunt etiam V, 1 vv. 39 — 54, et ipsi me iudice ab illo loco alieni. et primum quidem, quanquam Romam vel Latium significari apertum est, tamen *huc* v. 39 quo proprie referamus non habemus. namque Jacobus ad h. v., qui illud ad terram Romanam tam bello valentem spectare opinatur, et Krahnerus in Philologi vol. XXVII. p. 64, cui vel virtus Romana describi videtur, subaudiunt sententiam cuius in versibus antecedentibus ne vestigium quidem deprehenditur: quae quidem interpretandi ratio diligenti et probo poetarum lectore indigna est. minus vero cur *melius* Romam penates misisse Troia dicatur perspicimus, quoniam quae comparetur urbs non patet. nam si cum toto orbe terrarum Romam conferri credis, nonne *optime* potius exspectas? denique poeta id secutus, ut e parvulis initiis et moenia aedificiaque et sacra Romana magnificentissime aucta esse ostendat, quo tandem consilio dis secundis Troiam penates suos in Italiam transmisisse praedicat? namque Troiam potentiorum hostium praedam factam bene confugisse in terram tam bello valentem poeta pronuntiare sine iusta causa Jacobo visus est. quod si verum esset, non modo in proximis versibus bellicam Romanorum virtutem laudari deceret, sed etiam haec omnia a totius carminis consilio vel propter eam ipsam sententiam discrepare censenda essent; neque enim quidquam ea ad id quod poetae propositum est explicandum confert. maiorem autem probabilitatis speciem sibi vindicat Krahneri l. l. pp. 61 sqq. interpretatio. is magnitudinem potestatemque qua sua aetate Roma floreat a poeta deduci censet ex insita priscis Romanis morum simplicitate ac virtute, at coniuncta illa cum propitio deorum Troianorum Iuliorumque numine. quanquam Propertius hoc quidem carmine non illud sibi proposuit, ut q u i b u s c a u s i s opes Romanae amplificatae sint, sed ut e s s e eas revera vehementer

adauctas exponeret. hanc enim huius elegiae rationem esse pro certo eo comprobatur, quod templa institutaque parca quae antea erant et eadem magnificentissima quibus nunc Roma ornata est vv. 1 — 32 constanter inter se opponuntur. deinde etiamsi huius incrementi causas quoque tangere voluit, tamen hic illud totum ex ipsa gentis Romanae indole et natura una ortum esse dicit. cuius rei documentum sunt vv. 55 sq.:

optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
qualia creverunt moenia lacte tuo.

iam vero extrusis his, de quibus quaerimus, versibus quam bene conveniant vv. 37 sq. et vv. 55 sq. nemo non sentit. — quae cum ita sint, carmen primum quod fertur tria continet carmina. primum vv. 1 — 38 et 55 — 70 perscriptum est: alterius habemus haec fragmina: vv. 39 — 54; 87, 88; 109 — 118: quorum quod fuerit argumentum postea diligentius indagabimus. tertium praeter omissa nonnulla comprehendit vv. 71 — 80; 89 — 102; 119, 120; 103 — 108; 81 — 86; 121 — 150. atque haec quidem ex ordine in posterum his notis signabimus: V, 1a; V, 1b; V, 1c. sed de his satis diximus.

Age vero similiter e carm. V, 6 eximendi sunt vv. 11 — 68, ut singulare de Apollinis Palatini templo efficiant carmen; at vv. 1 — 10 et vv. 69 — 86 poeta bellis celebratis iam ad laetiores res canendas sese animum applicaturum esse profitetur. sed quin carmina bellica quae omittere se scribit v. 69 scripta fuerint de bellis ab Augusto gestis, duabus de causis dubium esse vix potest. namque inter ea argumenta quae aliis poetis canenda cedit haec ipsa enumerat vv. 77 sqq.:

ille paludosos memoret servire Sycambros,
Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat,
hic referat sero confessum foedere Parthum.

deinde *victor Apollo* v. 69 sq. haud dubie in memoriam victoriae Actiacae commemoratus est quam huius maxime dei auxilio paratam esse antiqui poetae saepe scribunt, velut Vergilius Aen. VIII, 704 sqq.:

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.

hinc igitur discimus Propertium epicum de rebus a Caesare gestis opus incohasse, sed nondum absolutum abiecisse. nam si confecisset illud, aliis scriptoribus has res celebrandas se relinquere vix confessus esset vv. 77 sqq. neque incredibile est ante nostrum carmen (vv. 1—10 et 69 sqq.), quod post a. 738 (16.) finem perscriptum esse videbimus, huic operi eum operam dedisse, quoniam illud iam carm. III, 10 quod a. 732 (22.) confectum est Augusto promisit et a Cynthiae amore liber fortasse statim scribere coepit.*) sed, ut redeam unde digressus sum, vv. 11—68 a ceteris ut separem, his adducor causis. nam si omnes huius carminis versus esse tenemus, quod aliud eius argumentum esse potest, si quidem Apollinis Palatini iusto consilio mentionem factam esse volumus, atque quod Hertzbergius I. p. 28 et 228 proposuit, ludorum quinquennalium a. 738 (16.) in pugnae Actiacae honorem celebratorum praeparatio? namque ne post hos ludos habitos ad eos laudandos hoc carmen compositum ducas, vetant verborum coniunctivi in vv. 71 sqq. inprimisque futurum tempus in vv. 85 sq. illo tamen consilio capto Sycambros devictos v. 77 commemorare nondum potuit Propertius propter temporis rationes; quas copiosius infra exponemus. praeterea ludorum in toto carmine commemoratio indagabitur nulla, sed et vv. 11 sq. et vv. 67 sq. unde aedes Palatina Apollini dicata sit explicare se disertis verbis poeta testatur. neque quisquam versus illos nunc in media elegia positos prooemiorum et clausularum, quibus ceterae de antiquis urbis Romae locis sacris templis elegiae instructae sint, speciem prae se ferre et naturam negabit collatis V, 4, 1 sq. et 93 sq. aut V, 9, 1 sq. et 45 sqq. at, inquis, vv. 69 sq.:

bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
victor et ad placidos exuit arma choros

---

*) Cfr. quae capite quarto de his rebus disputavimus.

refutant carminis divisionem respiciendo ad Apollinis apud Actium auxilium quod vv. 11—68 enarratur. bella tamen qui poterit cecinisse sibi videri is qui Apollinis Palatini aedem se relaturum esse promittit vv. 11 sq. quique hoc argumentum maxima carminis parte confecta persecutum se esse scribit vv. 67 sq.? denique qui in ipso carmine pugnae mentionem in transcursu tantum iniecit, sed Apollinis Actiaci orationem et auxilium copiosissime explicavit? deinde etiam dissecto hoc carmine versus illos probabilem habere interpretationem supra significavimus: spectant nimirum ad epicum Propertii carmen quo in describendo proelio Actiaco inprimis Apollo armis insignis laudatus erat. ergo hos versus ad proxime antecedentes referre non cogimur; sed ne possunt quidem illuc respicere. nam tempus quod *iam* (v. 69) et *nunc* (v. 71) particulis definitur ab illo diversum est quo bella cecinit poeta. haec tamen si tractasse fertur proximis versibus eiusdem elegiae qua nunc leviora argumenta se petere adseverat, profecto simul utrique rei operam navavit, quoniam eodem tempore huius carminis versus omnes perscripsit. qua de causa bella antea alio carmine, non nostro cantavit. itaque ne vv. 69 sq. quidem eos qui proxime praecedunt excipere possunt. porro carmina amatoria compositurus Philetae et Callimachi exemplum sibi se proponere merito narrat poeta IV, 1, 1 sqq. at hic cum de Apollinis Palatini vel templo vel ludis grande carmen editurus sit, quale et ipse vv. 12 sqq. promittit et Hertzbergii sententia, si vera est, postulat, quid *Philetaeos corymbos* (v. 3) et *Cyrenaeas aquas* (v. 4) crepat, res ab argumenti gravitate absonas? contra levioris carminis, quale vv. 69 sqq. pertexitur, iusti illi feruntur auctores. at qui *vatem* se appellat et *sacra se facere* pronuntiat v. 1, is grande prooemium condit sublimi carmini unice aptum. sed ridentem poetam nonne agnoscis? qui comissaturus (vv. 71 sqq.) Baccho sacra se facere iactat. an etiam IV, 1, 3 *sacerdos* illud a carminis levitate discrepat? denique v. 10:

pura novum vati laurea mollit iter,

quo novi generis carmen se incohare pronuntiat poeta, optime

excipitur vv. 69 sqq. quibus carminibus epicis valedicit alia cantaturus eaque leviora. quae cum ita sese habeant, duo carmina separabimus, alterum quod vv. 1—10 et 69 sqq., alterum quod vv. 11—68 conficitur; atque illud hac nota V, 6a, hoc tali V, 6b iam distinguemus.

Carminibus autem perperam inter se confusis similes sunt versuum in singulis elegiis ipsis transpositiones. atque cum nuper duce Diltheio de Callimachi Cydippa p. 106 iure post v. 74 transmigraverint V, 9 vv. 71 sq., ipsi eiusdem carminis vv. 65 sq.:

angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
accipit: haec fesso vix mihi terra patet

quin alienam sedem occupaverint non dubitamus. Hertzbergius explicari causam cur tam severum puellis imperium ediderit Hercules sibi persuasit, interpretatus ille quidem *vix* vocabulum de labore quo a mulieribus aditum ad fontes sibi expugnavit. at huic sententiae oppugnat et hexameter qui, quamvis propter anaphorae figuram similem sententiam continere videretur, tamen in aliam atque pentameter partem tenderet, et hoc, quod Hercules non terram, sed fontem potius mulieribus eripuit. ergo his versibus misericordiam potius movere censendus est iniecta laborum mentione quibus confectus vix in Italiam venerit. huius autem consilii cum nulla sit utilitas nisi in ea oratione qua a mulieribus aquam petit, illuc hi versus haud dubie sunt revocandi. sed quemnam in ea locum potissimum obtinuerint ad diiudicandum difficilius est. olim enim post v. 36 inserti facta fatorum (v. 65) mentione optime transducere mihi visi sunt ad rerum ab Hercule gestarum expositionem (vv. 37 sqq.). sed hic sententiarum nexus nimis quaesitus est neque facile lectori elucebit. deinde ut post v. 38 collocemus hos versus, eo possimus moveri, quod sic haud inepte significare videtur Hercules eandem terram, quam olim suis humeris sustulerit, nunc tamen sibi vix patere. quanquam vv. 37—41 adeo inter se conexi sunt et ipsa sententia et verbis eisdem repetitis (cfr. v. 37 *auditis*; v. 39 *audit.*), ut aliis intrusis separari vix possint.

praeterea Herculem *hanc terram* v. 66 non eam dicere, quam olim tergo receperit, sed in quam nunc advenerit, probatur ni fallor additis his: *angulus hic mundi.* quae cum ita sint, nunc ego quidem vv. 66 sq. ante v. 33 in totius orationis initio posuerim in hunc modum:

angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
accipit; haec fesso vix mihi terra patet:
vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
pandite defessis hospita fana viris.

quibus coniunctis Herculem, modo fesso sibi hanc terram non patere questum, iam eodem animo pertendentem sacerdotes rogare animadvertes, ut defessis viris fana pandant.

Nunc hinc regrediamur ad V, 8 vv. 19 sq.:

turpis in arcana sonuit cum rixa taberna;
si sine me, famae non sine labe meae.

qui versus particula *cum* prioribus additi itineris quod per viam Appiam fecit Cynthia aut impudentiam aut tempus accuratius definituri videntur. attamen utrique consilio pariter non conveniunt, quoniam turpia in taberna convicia neque quidquam ad Cynthiae habitum describendum conferunt neque certum tempus indicant. sed comparatis maxime vv. 57 sqq. nemo dubitabit, quin hi versus ad Cynthiae cum meretricibus in obscura taberna (v. 62.) iurgia et proelia spectent. neque eis interfuit Propertius, ad quem a scortis victrix Cynthia *recurrit* (v. 63.). qua de causa ad nostram sententiam bene quadrat v. 20:

si sine me, famae non sine labe meae.

atqui haec si recte disputata sunt, vv. 19 sq. in falsam sedem delapsi sunt. nam ad totius carminis argumentum adumbrandum pertinent: ideoque praesertim cum alius nullus eis locus tribui possit in tota elegia, transferendi sunt post v. 2. hac autem transpositione facta nova oritur difficultas; nam duo enuntiata quae *cum* particula reguntur (v. 2. et 19.) languide sese excipiunt nulla coniunctione conexa. at, etiamsi non adiunguntur vv. 19 sq., tamen de v. 2 integritate dubito. hoc enim turbarum in Esquiliis nocte praeterita factarum

causam poeta adiecta *cum* coniunctione definire videtur. at qualem tandem causam? in novos hortos, quos Maecenas in Esquiliis excoluerat, convenisse scribit vicinam hominum turbam. vicinam scilicet ex adiacentibus regionibus intellegis. atqui propter strepitum, de quo postea verba fiant, vicinam etiam ex aliis vicis turbam accurrisse quis credat? immo potius turbam ei tabernae, in quo tumultus oriatur, vicinam ex ipsis agris Esquilinis congressam esse consentaneum est. quod si probabiliter expositum est, sententiam solo v. 2 non satis clare expressam esse patet. itaque etiam hac ratiocinatione movemur, ut vv. 19 sq. quibus tabernae mentio continetur huc revocemus. sic enim sententia quam postulamus plene effertur: cum turpis rixa in arcana taberna sonuit, vicina ei turba ex novis agris accurrit. sed tamen hac transpositione facta, si bis *cum* particula ponitur, posteriorem (v. 19.) priori (v. 2.) subiunctam esse sentimus: quare languida et parum perspicua evenit enuntiati structura. hanc autem ut expoliamus, cum variae emendationes excogitari possint, ego prius illud *cum* mutaverim in *nam* particulam; qua plane definitur quomodo sequentes versus cum primo cohaereant. totum igitur elegiae initium olim hoc erat, praeterquam quod de *fugarit* verbi integritate dubito:

disce quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas:
nam vicina novis turba cucurrit agris,
turpis in arcana sonuit cum rixa taberna;
si sine me, famae non sine labe meae.

His expositis veniamus ad V, 5 v. 62 qui cum mendosus in codicibus sic feratur:

per tenues ossa sunt numerata cutes,

a plerisque eiectus est. sed quoniam versiculum ab hoc loco, cuius tamen per se tam perspicua est sententia, adeo abhorrentem ab interpolatore concinnatum esse vix credibile est, sine dubio servandus ille est, dummodo probabiliter emendari possit. immerito tamen et Jacobus:

per tenuem ossa mihi sunt numerata cutem

et Hertzbergius:

per tenues ossa has sunt numerata cutes

scribi iussit, quia, ut alia praetermittamus, Propertius non tam desiderio amicae marcescit, quam odio lenae inflammatus est: neque temporis momento, etiamsi gravissimo dolore captus est, ita attenuatur, ut per cutes numerari possint ossa. neque vero ad Propertii amicam, in quam invehitur Acanthis, hic versus referri potest, quia haec cur ita affecta sit minus etiam intellegitur. itaque id unum relinquitur, ut de ipsa lena dici censamus; atque ossa per tenues cutes numerata optime conveniunt in subitam eius mortem quae Veneris numine efficitur. sed etiamsi in hanc sententiam emendari potest, hic tamen versus ille tolerari nequit: ubi subito mortuam esse mulierem nondum narravit, auctor quae fuerit corporis post mortem species inepte exponit. Iam vero v. 68:

horruit algenti pergula curta foco

nescio quo modo vagari mihi videtur inter reliquos versus quibus nulla sententiae necessitudine coniungitur. cur enim hoc potissimum loco lenae paupertatem memorat poeta? huius autem statim post orationem, qua puellae ut divitias sibi pararet suasit mulier, aptius mentio fit, ut huius consilii causa etiam pateat. quae si vere disputata sunt, v. 62 et v. 68 sedem inter se mutare debent. sic enim subita lenae morte vv. 65 sqq. narrata haud inepte adicitur v. 62. qui sic restitutus:

ossaque per tenues sunt numerata cutes

suum locum tuetur. ceterum versus transpositionem olim secuta est particulae *que* iam sensu carentis praetermissio et vocabulorum traiectio.

Sed nondum hoc carmen relinquere licet. age enim adspiciamus lenae praecepta. quae, quanquam in singulis ordinandis certam quandam libertatem concedimus poetae, tamen sine ullo consilio coniecta merito dicuntur. neque enim singularium praeceptorum post generalia vv. 21 — 28 exprompta ordinem ita incipere debebat Acanthis v. 29: *et simulare moram pretium facit*, cum alia eiusdem generis adhortatio praecederet nulla. deinde vv. 57 — 60 in totius orationis fine ferri vix

possunt; neque enim quod ut iuventute fruatur, quam quod poetam versus, non aera ferentem ut spernat monetur amica, maxime indignatur Propertius poeta. ergo qui gravissimum illud consilium continent, vv. 55 sq. ultimum necessario obtinebunt locum, ut ipso acumine Acanthis claudat orationem. accedit autem altera causa cur hinc expellantur vv. 57—60. neque enim post tot alia praecepta mulier puellam apte adhortatur, ne iuventute non usa damnum patiatur. sed primaria haec erat admonitio qua illius animum commoveret quaeque plane coniuncta esset cum v. 28: quo eandem ut frangeret damnosae iura pudicitiae incitabat. denique vv. 31—36 praecipitur quibus artibus pecunia extorqueri possit ex amatore iam certis vinculis constricto; iterumque hic de pecunia quaerenda locus continuatur vv. 47 sqq. medii autem interpositi sunt vv. 37—46: qui tamen, quoniam praescribunt quibus illecebris irretiri et teneri possit dubius etiamtum et incertus amator (cfr. v. 38), merito ceteris omnibus praecedebant. iam vero eiusdem generis ut vv. 37—46 sententia profertur vv. 29 sq. quibus ut supra vidimus, antequam amatori nox detur, simulatis moris magis etiam ille exstimulandus esse dicitur, ut certioribus vinculis constringatur (cfr. v. 30). ergo vv. 29 sq. a vv. 37—46 iniuste divelluntur vv. 31—36 interpositis. quae cum ita sint, turbatum esse versuum ordinem negari vix poterit. sed emendandi rationes cum complures excogitari possint, tamen omnibus quantum potui perpensis mihi quidem lenae oratio versibus ita collocatis olim a poeta composita esse videtur: 21—28; 57—60; 37—46; 29—36; 47—56. hoc enim ordine restituto post praecepta universalia (vv. 21—28) primum quibus artificiis adulescentem irretiat, tum quo pacto lucrum ex eodem faciat puella edocetur.

His explicatis nunc progrediamur ad V, 2 vv. 41—46. quos iam Schraderus iusto loco legi negavit. namque hic cur hortorum cultorum maximam sibi famam esse gloriatur Vertumnus? an ut sirpiculis medio pulvere rosas se ferre posse ostendat? at ceteris huius generis distichis documenta non addidit: cur huic adiunxit quae ne convenirent quidem om-

nino in rem? nam vv. 45 sq. exempla potius illum afferre demonstrant fructuum in suum honorem praeceptorum. de his autem iam vv. 11 sqq. verba facit. similiterque quid fama de ipso eiusque nomine statuerit enarrat vv. 11—20 simulque ut testimonia fructus sibi allatos commemorat; cfr. imprimis v. 12 et v. 19. his igitur versibus adiungendos esse eos, de quibus disserimus, perspexit Schraderus. sed Lachmanno (ad v. 41), ut causam transpositionis probavit, ita suo iure displicuit quod post v. 18 inseruerat ille vv. 41—46. nam cum vv. 15 sqq. iam de hortorum donis ad Vertumnum allatis mentio fiat, quo pacto deus ipse vv. 41 sq. nolle se de his quidquam adicere adseverat? at post v. 12 quo vulgus nomen suum ab anni fructibus repetere narratur, suam sedem illi versus olim habuerunt, quia et ipsi de fama hominum scripti sunt. praeterea huc in initium expositionis quadrant etiam illa *nam quid ego adiciam?* quibus adhibita praetermissionis figura ea quae in vulgus nota sint pronuntiare se nolle simulat Vertumnus et tamen statim profert. ceterum vv. 41—46 post v. 12 retractis pro *at* particula v. 47 sine dubio scribendum est *sic;* quo vocabulo ea quae vv. 21—40 exposita sunt comprehenduntur, velut V, 7, 69.

Denique ultimum versuum transpositorum exemplum tractabimus V, 1 vv. 141 sq.:

et bene cum fixum mento discusseris uncum,
nil erit hoc, rostro te premet ansa suo.

in quibus cur haereamus perspicietur toto hoc loco diligentius examinato. atque priorum editorum, qui in toto carmine unum horoscopum loqui putabant, opinione improbata merito Heimreichius in symb. ph. B. p. 674 vv. 135 sqq. Apollini tribuit loquenti. sed falso dei orationem v. 146 demum finit. omitto quod Apollo, cum pauca poetae dixisse feratur v. 133, vix continuavit verba sua per tot versus. certiora sunt alia. deo enim qui id unum sibi proposuit, ut ad elegos componendos Propertium adhortaretur (cfr. vv. 133 sq.), non convenit illa amoris duri descriptio (vv. 139 sqq.); qua si non impeditur, at certe non promovetur illud quod sequitur consilium. quid? quod ab Apollinis gravitate

vel maxime abhorret velut haec sententia *persuasae fallere rima sat est.* talibus profecto non usus est idem in simili oratione apud Propert. IV, 3. denique ne horoscopi quidem ars Heimreichii de hoc loco sententiam fert. is enim v. 150 monet Propertium, ut octipedis cancri terga sinistra timeat. quo versu, nobis quidem nunc valde obscuro, at ipsi Propertio sine dubio sat perspicuo, quod tandem malum tangat horoscopus pro certo dici nequit. tamen ego quidem non dubito quin Scaliger vere divinaverit novi amoris pronuntiationem hoc versu contineri; cfr. Hertzbergius ad h. l. namque iocosum potius quam revera triste vaticinium aliquod hic proferri totius carminis indole et natura confirmatur. atqui si iam vv. 139 sqq. Apollo novum amorem Propertio vaticinatus est, horoscopus hoc versu nihil novi ei praedicit: quod quidem artem eius tantis verborum ampullis commendatam minime decet. praeterea versuum distributioni ab Heimreichio propositae oppugnat etiam *nunc* particula v. 147. haec enim tempus definire non potest propter eam quae sequitur sententiam: nam prodigium illud non ipso hoc temporis momento, sed futuro aliquo minari dicitur vv. 147 sqq. quare potius tanquam conclusione facta ea comprehendit quae versibus praecedentibus efficiuntur. atque notam hanc particulae *nunc* significationem qua similis est vocabulo *ergo* observamus etiam apud Propert. I, 2, 25; 6, 1; 19, 1; II, 3, 33; III, 18b, 23; 26b, 21. suas autem ipsius sententias complecti Horon consentaneum est. ergo Horos potius quam Apollo ante v. 147 locutus est. itaque illi attribuendum est de puellae superbia vaticinium idque erat illud quod certius non definivit Heimreichius triste prodigium. incipit enim inde a v. 139 iterum loqui astrologus; ibique pro *nam* particula leni emendatione repone *iam* quod respondet *mox* particulae v. 131. in horoscopi igitur oratione exstant vv. 141 sq., de quorum sede dubitamus. atque primum quidem, si recte locum suum tenent, exemplo allato distichon quod antecedit illustrant: quae tamen explicatio inepte *et* particula adiuncta est. praeterea quae tandem est ista dicendi ars qua primo vv. 141 sq. amor

Propertium enecaturus esse dicitur, tum vv. 143 sqq. multo minores dolores praedicuntur? sed leviora haec: gravissimum autem illud est, quod huius distichi sententia ipsa pugnat cum horoscopi vaticinio. exemplum enim quo in his versibus utatur auctor sumptum esse iure suo dicunt interpretes e re piscatoria et duplici unci et ansae nomine sine dubio duplicem hamum significari volunt. at duplex hamus ita solet esse comparatus, ut, si excussus est, non possit altera quasi sua parte piscem iterum secare. quo igitur pacto, si uncus mento discussus est, tamen ansa, quam et ipsam uncum esse contendunt, Propertium premere fertur? immo unco vel ansa, ubi mento excussisset Propertius, tamen aliud statim membrum arreptum esse recte dicebatur. quod cum non factum sit, apparet unco opponi ansam quasi alterum tormentum. dicendi igitur lumine remoto: una puella depulsa mox alteram aeque difficilem amaturum esse. poetam vv. 141 sq. audimus. atqui Horos vv. 139 sq. unius puellae fastus disertis verbis extulit et in hac sibi constat sententia vv. 143 sqq. Apollini autem, qui vv. 137 sq. Veneris militiam Propertio indicit, unice adscribi potest illud de amorum post amores redintegratione vaticinium, vel propter orationem figuratam, abhorrentem illam quidem a simplici dicendi genere quo in ceteris versibus usus est astrologus. ergo vv. 141 sq. post v. 138 adiungendi sunt reposita pro *et* particula voce *ei.* — sed haec quidem hactenus de versibus transpositis.

Solent autem, ubi alii versus e sua sede in falsam transmigrant, alii simul omitti. cuius rei primum habemus exemplum V, 3 vv. 43 — 52. atque vv. 49 sq.:

omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem

hanc, ut iam Passeratius vidit, continent sententiam: omnem amorem magnum esse, sed maiorem uxoris in coniuge, quam amicae in amatore amorem. neque coniecturis opus est quibus hos versus critici vexarunt. huius autem sententiae quale tandem testimonium proferunt vv. 51 sq.:

nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris
crystallusque meas ornet aquosa manus?

quippe qui *nam* particula incipiant? si probamus, ut decet, Neapolitani in v. 52 scripturam *meas* (cfr. Jacobus ad h. v.), „cur mihi" inquit Arethusa „ornamenta induam? non mea causa, sed ut tibi placeam ornare me soleo". haec tamen enuntiatio ut praecedentis distichi normam confirmet, tantum abest ut non possit non causam olim attulisse cur Arethusa absente marito se sordidis vestibus indutam quasi maerere questa sit. eius igitur generis aliquot versus ante v. 51 deperditi sunt, nisi *nam* particula sano sensu prorsus carere existimanda est. sed etiamsi ita sententias explemus, tamen vv. 49 sq. neque cum antecedentibus neque cum sequentibus versibus iusto nexu cohaerent. quid enim hanc observationem tam generali sententia prolatam hic intrusit auctor? quae tum demum cum vv. 43 sqq. bene coniungitur, si Arethusa se propter magnum coniugis amorem (vv. 49 sq.) facilius castrorum pericula toleraturam esse, ad bella illum secutam, disertis verbis addit. itaque post v. 50 omissis aliquot versibus hoc enuntiatum haustum est. et haec quidem hactenus de vv. 49 sqq. sententiis explendis. quid vero? num vel restitutis eiusmodi versibus vv. 43—50 hanc sedem obtinere possunt? tristem suam in desertis aedibus cum paucis comitibus maxime per noctes vitam vv. 29—42 describit Arethusa; continuatur autem harum rerum enarratio vv. 51 sqq. at versibus qui inter utrosque medii sunt optat puella, ut altera quasi Hippolyte maritum in bella comitari possit quorum labores amore sibi dulciores fieri sciat. hi igitur nihil huc pertinent. neque vero haec inconcinnitas tollitur vv. 50—56 ante v. 43 translatis, quoniam ne vv. 57 sqq. quidem ab illis separari possunt. sed coniunctum est illud votum quam arctissime cum eis querellis quas de mariti absentia legimus vv. 7—29. quid? quod v. 29 cui tandem *at mihi* verbis opponatur Arethusa nunc non perspicitur. atqui nemo non sentit Arethusae quae desertum thalamum deploret (vv. 29 sqq.) eandem contrariam esse, si coniugem adversus Parthos secuta feratur (vv. 43 sqq.).

neque inepte uxor cuius desiderio maritus tenetur (vv. 27 sq.) optat, ut illius militiae fida sarcina fieri possit (vv. 45 sq.). quibus de causis vv. 43—50 post v. 28 inserendi sunt, sed lacuna inter v. 50 et 29 significata. atque illis remotis vv. 51 sq. excipiunt v. 42, sed hic quoque inter utrosque aliquot versus exciderunt.

Iam transeamus ad V, 4 vv. 71 sq.:

illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscissum fertur aperta sinum.

qui versus cum praecedentibus non bene coeunt. nam quo tandem iure Tarpeiam, quam modo (v. 67.) somno se permisisse dixit, Maenadum more furere poeta narrat? quid vero? Strymonis, ut supra vidimus, ne Maenadibus quidem, sed Amazonibus adnumeranda est. qua re probata patet ruendi verbum non iam posse furendi significatum habere, sed currendi; qua cum interpretatione convenit *fertur* illud v. 72. nam Amazonum non furor, sed celeritas laudatur, velut a Silio II, 74 et Valerio Flacco IV, 607. atqui hic cur cucurrisse Tarpeia narretur cum nullo modo excogitari possit, ab hoc loco distichon nostrum abhorret. quo autem transponendum sit, quanquam toto carmine perlustrato non elucere videtur, inveniemus accurate interpretati vv. 27 sq.:

dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
rettulit hirsutis bracchia secta rubis.

fumum autem, quem olim matutinam nebulam esse voluerunt, vere de vespertinis sive nebulis sive castrorum fumis Hertzbergius intellexit propter v. 31 et vv. 63 sq. sed idem Tarpeiam, quae mane, ut mos erat *), aut aquam Vestae petendi causa (cfr. vv. 15 sq.) aut omine territa lustrationis causa (cfr. vv. 23 sqq.) ad fontem venerat, per totum diem statuit ad fontem mansisse, ne ante crepusculum ad arcem rediret. at quid tandem Tarpeia per totum id tempus illic morata est?

---

*) Namque lustrationes mane factas esse testatur Verg. Aen. VIII, 67 sqq.; Valer. Flacc. V, 330 sqq.; Stat. Theb. IX, 570 sqq.; eodemque tempore virgines Vestales deae aquam petiisse docet velut Ovid. fast. III, 12.

nam lustrari, si propter hanc rem degressa erat, brevi profecto tempore potuit; sin Vestae aquam petitura erat, ne debuit quidem cunctando huic officio deesse. porro si a flumine rediit virgo, postquam aut aquas hausit aut lustrata est, quo factum est, ut in via hirsutis rubis bracchia laederet? an tam spinosa erat via, ut non posset quisquam ingredi eam, nisi ut bracchia rubis laceraret? o miseram Tarpeiam quae cotidie, ut Vestae aquam libaret, ad fontes degressa rediit in arcem sectis bracchiis! immo, si quid video, aliquo die puellam vel ut amicum videret vel alia de causa in planitiem degressam aspexit Tatius, tum fugientem, quia pudor nondum omnis illi exstinctus erat, persecutus a via in rubos impulit. huius autem narrationis ante v. 27 omissae *que* particula etiam signum est; qua nunc tam diversae res quales vv. 23 sqq. et vv. 27 sqq. narrantur ineptissime conglutinantur. praeterea etiam Tarpeiae oratio, ni fallor, hanc coniecturam commendat. an Tarpeiam illas querellas sic temere effudisse probabilius est, quam certa aliqua re motam? quodsi posterior sententia praestat, quid verisimilius est quam eam aliquo Tatii impetu excitatam esse? ad illam autem narrationem pertinent etiam vv. 71 sq., ut nunc apparet, ita inserendi ante v. 27, ut ante ipsos lacunae signum ponatur. scilicet Tatium fugiens Tarpeia cucurrit velut Strymonis.

Hinc progrediamur ad V, 7 vv. 35—38; quos iam Scaliger alieno loco ferri vidit. quare enim factum est, ut inter querellas quibus vv. 13—50 Propertium obruit Cynthia subito eundem adhortaretur, ut servos mortis suae auctores cruciaret? at ne ibi quidem quo eos transtulit Scaliger, post v. 46 locum suum defendunt. sed coniunctivi *uratur candescat tollat* demonstrant mandatorum, quae inde a v. 71 se amico daturam esse pronuntiat Cynthia, haec partem aliquam efficere. itaque ut probas servas (vv. 73—76.) sequatur infidorum poena, post v. 76 disticha illa reiciemus. ceterum his expulsis inter v. 34 et v. 39 accuratius descriptam fuisse suspicor novam amicam, de qua sunt vv. 39 sqq. nam vel transitus v. 39 a foedi funeris adumbratione (vv. 23—34.) ad illam

depingendam factus per pronomen relativum fractus est et elumbis.

His explicatis eiusdem carminis vv. 51—54 animum advertunt. nam cur fidem suam iureiurando affirmat Cynthia hic, ubi neque ad praecedentium neque ad sequentium versuum sententias quidquam id refert? cur hic argumentum repetivit, in quo tractando iam vv. 12—22 versata est? praeterea vv. 55 sqq., qui propter *nam* particulam ea quae modo dicta sunt confirmare videntur, tamen eorum nihil omnino probant; incipit enim novus de inferis locus. an Cynthia exponit cur tergeminum canem v. 52 commemoraverit? ergo disticha haec potius post v. 22 inserenda sunt. atque hoc vel eam ob causam probabiliter conicimus, quod iustam oppositionem illud *at* v. 23 nunc desiderat. traiectis autem his versibus fidem Propertium fefellisse, se servasse Cynthia contendit: sed ne sic quidem (v. 23) fidae amicae honestum funus ab eo paratum esse. denique ante v. 55 aliquot versus omissi sunt quibus de sua apud inferos conditione ita loqui coepit Cynthia, ut *nam* particula recte posita esset.

Age nunc transgrediamur ad V, 9 vv. 42 sqq. atque v. 42:

accipite: haec fesso vix mihi terra patet,

qui paulo mutatus v. 66 repetatur, immerito hic legi nunc constat fere inter sanos criticos. illatus autem huc est, postquam genuinus versus lacuna haustus est. sed qui hunc secuntur vv. 43 sq.:

quid si Iunoni sacrum faceretis amarae?
non clausisset aquas ipsa noverca suas,

quo iure hunc locum occupaverint minus etiam perspicitur. nam primum quidem *clausisset* illud pro imperfecto *clauderet* perperam positum est, quia nondum a sacerdotibus Bonae deae Hercules exclusus est a fontibus. accedit quod, nescius huius deae lucum se adiisse, Iunonem illi v. 43 opponere non potest. quid enim? si lucus sacer erat Iunoni? nam ne Herculem ut hominem deis similiorem haec omnia comperta

habuisse contendas: cur Bonae deae lucum ingredi studuisset, quem viris clausum esse scivisset? has autem ob causas vv. 43 sq. post sacerdotis orationem, qua et a fonte propellitur et Bonae deae lucum hunc esse certior fit vir fortissimus, retrahendi sunt, si quid video, ante v. 67. quo facto, cum vv. 65 sq. hinc removerimus, Hercules abrupto dicendi genere indignabundus crudelitatem mulierum vel Iunonis saevitiae comparat itaque ira stimulatus statim tristes de ara maxima leges puellis imponit — nisi forte ipsum orationis initium ante v. 43 deperditum esse probabilius censebis. sublati autem erant e sua sede, ut v. 42, etiam vv. 43 sq. ad lacunam explendam; quam post v. 41 non solum pentameter deperditus agnoscendam esse demonstrat, verum etiam ipsa sententia. namque Hercules, qui vv. 45 sqq. ne propter habitum terribilem expellatur sacerdotes orat, antea haud dubie easdem rogavit, ut aditus ad fontes sibi pateret. eiusmodi igitur aliquot versus post v. 41 olim legebantur. ceterum vv. 42—44 una transpositos esse apparet, postquam iam vv. 65 sq. in eum locum delati sint quem vulgo teneant.

His lacunarum exemplis propositis facilius fortasse fidem habebunt duo alia non tam claris argumentis innisa. quorum primum est ante V, 6 v. 85. namque *sic* inquit poeta *noctem patera, sic ducam carmine.* at vv. 71 — 76 vinum sane se potaturum esse exponit, sed vv. 77 sqq. tantum quid cantaturus non sit declarat. ut alterum *sic* recte sese haberet, nonne quae argumenta carminibus tractaturus esset, vinum scilicet et amores, addidisse putandus est poeta ante v. 85? — alterum autem exemplum invenitur ante V, 10 v. 43. etiamsi hoc carmine argumentum suum non tam exponit, quam tangit auctor, tamen quae tandem est, praesertim cum vv. 41 sqq. tam accurate describi coeptus sit alter adversarius, ista pugnae descriptio qua torquis Virdomaro ab incisa gula decidisse fertur? ferrem hoc fortasse, si direpta illi a Claudio diceretur: nunc non possum non suspicari ante v. 43 pugna copiosius enarrata descripsisse poetam ut Claudius Virdomaro collum ense dissecuerit.

Restat ut id mendorum genus tractemus quo inquinantur scriptores versibus interpolatis. atque cum Eschenburgius observat. crit. in Propert. pp. 1—26 merito eiecerit V, 1 vv. 33—36, nos in eodem carmine vv. 65 sq.:

scandentes si quis cernet de vallibus arces,
ingenio muros aestimet ille meo

obelo notabimus. atque hos insanos esse intellegitur maxime comparatis vv. 125 sq.:

scandentisque Asisi consurgit vertice murus,
murus ab ingenio notior ille tuo;

e quibus de eadem Umbriae regione dictis nostri manifesto expressi sunt. nam quae tandem est eorum sententia? hexametro sine dubio alti montes intelleguntur, at quales pentametro? Hertzbergius *aestimare* verbum ita accipi vetat, ut *magni aestimare.* at cur id optat poeta, ut taxetur quomodocunque patria sua? immo ut magni aestimetur propter suum ingenium rogat; cfr. v. 63. atqui ad magnos illos, de quibus locutus est in hexametro, montes nil attinet poetae ingenio augeri. itaque apparet de exiguis cogitari in pentametro. quod firmatur etiam simili sententia Ovidii amor. III, 15, 11 sqq.:

atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
moenia quae campi iugera parva tenent,
„quae tantum" dicet „potuistis ferre poetam,
quantulacunque estis, vos ego magna fero".

pugnare igitur secum hexametrum et pentametrum negari non poterit. quod cum perspexisset, Marklandus scribi iussit:

ingenium muris aestimet ille meum.

ergo „e murorum", inquit poeta, „altitudine meum quantulumcunque est ingenium aestimet hospes". at qui poeta contentus esse potuit tali iudice qui carmina sua laudaverit non propter ipsorum virtutem, sed propter alta patriae moenia? quae cum ita sint, noli dubitare versus istos male sanos expellere.

Atque gravissimis difficultatibus tenentur etiam V, 5 vv. 9—12:

illa velit, poterit magnes non ducere ferrum
et volucris nidis esse noverca suis.
quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
stantia currenti diluerentur aqua.

et primum quidem *velit poterit moverit* de mortua lena false usurpantur. accedit quod, sicut V, 1, 33 in versu interpolato, hic quoque inepte posita est *quippe* particula ut ita dicam causalis, qua eorum quae indicata sunt expositionem uberiorem scriptores inducere solent. cur vero herbas ad fossam movet lena? ut victimarum sanguinem illuc infundant, scrobes magicas effodi docet Horat. serm. I, 8, 26 sqq.; Ovid. met. VII, 243 sqq. denique *stantia* participium satis explicari vix potest. perperam enim Hertzbergius tanquam rigida et dura haec accipit; quae ita non vocari videntur, nisi addita velut *gelu* voce, ut apud Ovid. ex Ponto IV, 7, 8; Horat. carm. I, 9, 4. nam quae ad V, 11, 4 collegit ille exempla non rigoris, sed altitudinis notionem prae se ferunt. haec igitur ipsa firmare videntur Broukhusii opinionem cui *stantia* esse persuasum est quaecumque supra terram promineant. at haec explicatio propter currentem aquam ferri nequit cui non alta, sed solida opponenda erant. relinquitur, ut *stantia* esse dicamus firma: obstat tamen diluendi verbum cui ea potius contraria sunt, quae inter se ipsa materia cohaerent, quam quae firme stant. parum igitur diligentem hic agnosces orationem, quam coniecturis apud Burmannum collectis emendatam vix duces. praeterea autem saepe natura ipsa fert, ut stantia aqua diluantur. itaque ne miraculum quidem, quale hoc loco requiritur, v. 12 enarratur. eademque observatio ex parte aliqua valet etiam in v. 10. quare ego hos versus qui ne amatoria quidem lenae artificia increpant excluserim.

Ultimus eiusdem fabricae locus est V, 6 vv. 45 sq.: quos ita libri exhibent:

et nimium remis audent prope turpe Latinis
principe te fluctus regia vela pati.

unde Hauptius verbis usque ad *prope* vocabulum a ceteris separatis postea scripsit *Latinos.* quo facto prius illud enuntiatum

et nimium remis audent prope quam maxime languet propter *remis* et *prope* voces omni virtute carentes. idem autem illud *remis* pondere prorsus destitutum est, si oratione post *audent* verbum distincta cum Jacobo scribimus *proh turpe Latinis.* neque melius se habet eandem ob causam quod Lachmannus proposuit:

et nimium remis audent, pro, turpe Latinis:

praeterquam quod Antonius non multas e Latio, sed plurimas ex Oriente naves habebat; cfr. Verg. Aen. VIII, 685 sqq.; 705 sqq. perverse etiam Hertzbergius rem egit qui locum ita constituit:

et nimium remis audent, proh turpe! Latinis,
principe te fluctus regia vela pati.

atque huius lectionis hanc sibi indulsit interpretationem: nimium turpe est quod naves reginae te principe Romani remigii ope fluctibus committere se audent; quamvis propter vocabulorum collocationem *nimium* et *turpe* coniungi nequeant. quae tamen vocabula si separantur, *nimium* omni sensu cassum est. sed utcunque haec vel emendantur vel explicantur, *principe te* verba propter duplicem causam ferri non possunt. neque enim aut eo tempore quo pugna apud Actium commissa est iam princeps erat Augustus aut ita loquentem Apollinem is poeta induxit qui Caesarem laudet ob libertatem ab Antonio rege defensam: cfr. v. 58. et v. 62. quid? quod ipse huius distichi auctor r e g i a v e l a indigne fert. idem num p r i n c i p e m Augustum commendasset, nisi ineptum interpolatorem hic teneremus?

Ad haec igitur mendorum genera is animum attendat qui Propertii librum quintum emendaturus est. et sunt etiamnunc satis multa, in quibus haereat diligens lector. sed haec quanquam vix omnia eos fugeruut, tamen tollere noluerunt critici, quia haec carmina ab ipso poeta non absoluta et perpolita esse sibi persuaserunt: cfr. Lachmannus ad V, 1, 1; 2, 12; 4, 3; Hertzbergius I p. 216 sq. et ad V, 10, 1 sq. at etiam has elegias maxima ex parte elaboratas et perfectas esse a poeta cum e rei metricae elegantiis, tum e summa

rationum strophicarum concinnitate elucebit. nam ne quis carm. V, 1a, 2, 4, 6b, 9, 10 imperfecti operis membra esse opponat: possunt sine dubio toto opere nondum absoluto singula carmina omnibus numeris absolvi et expoliri. itaque unum tantum carmen undecimum perfectum non esse concedo. nam primum quidem duplicem eorum quae in illo narrentur scaenam esse eamque confusam post alios monuit Lucianus Muellerus in Fleckeiseni ann. vol. 91 p. 422. atque etiam singula disticha, nunc apto nexu carentia, interdum aliter ordinaturum fuisse poetam sensit Peerlkampus qui extremum vitae otium huic carmini, elegiarum reginae, navavit. quanquam nunc iniuria transponendorum versuum remedio eum usum esse merito contendit Lucianus Muellerus l. l. p. 780, quia sic narrationis consilium magis etiam turbatur. sed tamen ego vv. 65 sq.:

vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
consul quo factus tempore, rapta soror,

qui nunc liberorum enumerationem interrumpunt, post v. 60 inseruerim, quia aliter ne *et tamen* quidem illud v. 60 recto talo stat. itemque vv. 97 sq.:

et bene habet: nunquam mater lugubria sumpsi:
venit in exequias tota caterva meas,

in quibus nunc *et bene habet* verba sensu carent, post v. 62 revocaverim; quo cum loco vel sententia ipsa cohaerent. neque in has Peerlkampi transpositiones cadit quod vituperat Muellerus. praeterea in initio sententiam quam explicavit vv. 1 — 10 Propertius paucioribus versibus eisque aliter ordinatis fortasse prolaturus erat. nec non in oratione quaedam quae duriora nunc sunt explanaturus et leniturus erat. in ceteris tamen praeter undecimum carminibus ubi quid sano iudicio displiceat, non video causam cur superstitiosi codicum auctoritatem magis quam alibi veneremur.

Caput II.

Quod in libri quinti carminibus componendis consilium secutus sit Propertius explicatur.

Iam libri quinti carminibus pro virili parte emendatis quo singula consilio composuerit auctor quaesituri haud inepte initium capiemus a carm. V, 1a, 2, 4, 6b, 9, 10: quae in uno argumento versari in aperto est. atque quale hoc sit ipse poeta ea elegia qua ceteris praefatur palam profitetur. nimirum urbis Romae non modo *moenia* (V, 1a, 57.), sed etiam *sacra diesque et cognomina prisca locorum* (V, 1a, 69) enarraturus est. ergo non fastos, ut Lachmanno visus est ad V, 1, 1, aut origines potestatis Romanae, ut placuit Hertzbergio I pp. 82, 193, 216 et Krahnero in Philologi vol. XXVII pp. 62 sq., conditurus, sed et topographi et antiquarii officio functurus erat. quale erat munus eorum hominum quos periegetas antiqui vocabant. periegesin igitur urbis Romae scripturus erat Propertius. — atque hoc consilium ut quivis perspiceret, non argumento solum pronuntiato curavit, verum etiam ipsa prooemii inscriptione. nam V, 1a vv. 1 sq.:

hoc quodcunque vides, hospes, qua maxima Roma est,
ante Phrygem Aenean collis et herba fuit

adlocutus est hospitem. quem nunc separatis etiam a carm. V, 1a vv. 71 sqq. nemo cum Scaligero horoscopum illum esse credet, sed eum quem ducere se per urbis Romae vias singula quaeque monstrando et explicando simulet poeta. eius autem consilii memoriam semper resuscitat pronomen quo utitur auctor *hic* velut V, 1a, 5. hinc iam perspicies cur V, 2, 19

Vertumnum locutum esse coram hospite statuerimus. simulque explanavimus id, in quo haesit Heimreichius in symb. ph. B. p. 678, quod cuinam narraret Vertumnus nominis sui originem non appareret. verum etiamsi meam sententiam non probavero, ne tum quidem desperandum erit de carminis secundi fide. neque enim solum hospitem, in quem sane primum se convertit, adloquitur deus, sed totam turbam quam ante pedes suos transeuntem videt (cfr. v. 5 et vv. 55 sq.). id nisi statueris, v. 57 eum se non morari qui ad vadimonia currat sine iusta causa subito exclamabit. nimirum signi titulum, in quo ipsum Vertumnum narrantem inducit auctor, aperte refert hoc carmen. cui rei optime convenit artificis in fine eius nomen et laus. atque hac tantum ratione probata explicantur pronomina *haec* (v. 5) *hac* (v. 7) *tantum* (v. 9) quae gestu aliquo illustrasse deus censendus est, quasi e loco edito publice verba faceret. ergo fastorum Ovidianorum (I, 63 sqq.) imitationem iniuria suspicatus est Heimreichius. — denique ut argumentum et inscriptio carminum, ita etiam ratio qua illud tractavit poeta plane decet periegetam. solebant enim qui periegetarum in urbibus antiquis munus suscipiebant, ut non modo per se credibile est, sed testimoniis etiam velut Pausaniae constat, alia quae non prorsus ementiti erant ita exornare, ut lenociniis captarent audientium aures, alia etiam prorsus comminisci vel inter se pugnantia. quas tamen rerum repugnantias neque ipsi sentiebant suo acumine ducti neque, si auditores animum advertebant, explanare poterant. atqui similem in modum suas narrationes instituisse Propertium duabus maxime rebus evinci potest. nam primum quidem V, 1a vv. 63 sq:

ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi

Callimachum *αἰτίων* auctorem exemplum quod imitaretur se proposuisse sibi significat (cfr. Hertzbergius I p. 198). hos enim versus si ita interpretamur Heimreichio auctore in symb. ph. B. p. 678, ut Umbriam suam patriam eandemque Callimachi Romani i. e. Propertii dicat scriptor, v. 64 qui nunc

grata brevitate causam affert cur superbiat Umbria, temere additus videtur. Callimachum autem in αἰτιῶν carminibus argumenta potius ad delectandos quam ad erudiendos lectores comparasse etiamnunc e reliquiis colligi licet (cfr. Dilthejus de Callimachi Cydippa). sed magis etiam in aperto est alterum argumentum ex ipsis carminibus petitum. neque enim ea, quae de urbis Romae locis saeris fabulis antiquis tradita erant, a Propertio ut iustum antiquarium decet plene planeque exposita, sed e poetica libertate et sui ipsius ingenii sensu immutata contaminata excerpta sunt. quam rem duobus exemplis illustrare placet. de Tarpeia vulgarem fabulam refert Livius I, 11, 6 sqq. in hunc modum: *Spurius Tarpeius Romanae praeerat arci. huius filiam virginem auro corrumpit Tatius, ut armatos in arcem accipiat. aquam forte ea tum sacris extra moenia petitum ierat. accepti obrutam armis necavere, seu ut vi capta potius arx videretur, seu prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset. additur fabulae quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis bracchio laevo gemmatosque magna specie anulos habuerint; pepigisse eam quod in sinistris manibus haberent; eo scuta illi pro aureis donis congesta.* hisque narratis addit *sunt qui eam ex pacto tradendi quod in sinistris manibus esset, derecto arma petisse dicant et fraude visam agere sua ipsam peremptam mercede.* atque hanc quidem interpretationem illius pactionis excogitavit Piso annalium scriptor miratus ille suo iure quod proditricis puellae in honorem mons Tarpeius nominatus esset a Romanis. in similem autem suspicionem etiam noster poeta vocavit vulgarem fabulam, si quidem V, 4 vv. 93 sq. supra recte et explicavimus et emendavimus. sed tamen usitam narrationem amplexus armis obrutam esse Tarpeiam idem rettulit v. 91; at mira profecto ille ratione. omni enim acumine cum careat haec res, nisi quod in sinistris manibus haberent a Sabinis pacta esse dicitur Tarpeia, ille amore Tatii adductam esse puellam, ut arcem hostibus proderet, pulchra sane narratione exposuit (vv. 29 sqq.; v. 82.). at ne quis hanc rem novasse poetam contendat non suo iudicio, sed aliena auctoritate fretum, qua

etiam Simulus apud Plutarchum Romuli cap. XVII usus sit: ille amorem quidem et ipse commemoravit, neque vero Sabinis, sed Gallis Capitolium a Tarpeia traditum scripsit. ipse igitur poeta fabulam mutavit amore illo invento, ut hunc iucundissima ea quam nunc legimus Tarpeiae oratione exornare posset. imitatus enim est, id quod non fugit Niebuhrium hist. Rom. I, 241 adn. 632 quodque immerito negavit Hertzbergius ad V, 4 vv. 93 sq., de Scylla fabulam quam ipse tetigit vv. 39 sq. similesque narrationes. eandem autem in argumento tractando libertatem prae se fert carmen nonum, quod huius rei alterum exemplum esse volui. sed in hoc de Caco et ara maxima aliter disserere poetam atque ceteros auctores satis habeo indicasse, singula ipsi ut quaerant lectores benevolos adhortatus. sic igitur periegesi poeticis luminibus illustrata notas de urbe Roma eiusque re antiquaria fabulas poeta vel peritorum lectorum oblectationi commendare conatus est. ceterum qui carminibus periegesin composuerint, novimus praeter Scymnum, Dionysium, Avienum velut hos: Apollodorum Atheniensem (v. Strab. XIV p. 677), Alexandrum qui *Λύχνος* appellabatur (v. Strab. XIV p. 642), Lynceam Argivum (v. Pausan. I, 13, 8; II, 22, 2 Bekk.), Varronem Atacinum cuius e chorographia reliquias collegit Alexander Riesius post Varronis Satur. Menipp. pp. 263 sqq.

His expositis iam decet carminis illius quod V, 1b esse iussimus quale tandem fuerit argumentum et consilium e fragmentis eruere i. e. e V, 1 vv. 39—54; 87, 88; 109—118. atqui de Troiae eversione ita disputasse poetam, ut inde Romam bona ave ortam diceret, apparet e vv. 39 sqq. hoc autem argumentum ita videtur exornasse ut Cassandram (cfr. vv. 51 sq.) Priamo vaticinantem faceret de Troiae Romaeque fatis. ad quod vaticinium, cum vv. 53 sq. nullo pacto possit absolutum videri, pertinent sine dubio vv. 87 sq. et vv. 109—118. at huic coniecturae videtur obstare v. 113 *nec rediere tamen Danai* propter perfectum verbi tempus quod a vaticinio abhorreat. haec tamen difficultas recta huius versus interpretatione removetur. nimirum Calchas victoriam se

reportaturos esse olim Graecis vaticinatus erat; v. Il. B. vv. 300 sqq.; Ovid. Met. XII, 11 sqq. atque hoc ita eos intellexisse consentaneum erat quasi superatis Troianis victores domum redituri essent. at iam Cassandra, cum equom Minervae urbi admoveri videat (cfr. v. 53), victoriam quidem Graecos relaturos esse concedit (cfr. vv. 53 sq.; 113 sq.); sed eosdem nondum felicem quem speraverint reditum nactos esse admonet; cfr. v. 113 *nec rediere tamen Danai.* neque unquam salvos omnes in patriam redituros esse commemoratis periculis quae illis subeunda sint maritimis (cfr. vv. 113 sqq.) adseverat. at fore aliquando ut Roma urbe a Troianis in Italia condita renascatur diruta Troia pronuntiat vv. 53 sq.: *Ilia tellus vivet et huic cineri Iuppiter arma dabit.* et haec quidem de mutilatae huius elegiae argumento probabiliter exponi possunt. quae si a vero non plane aberrant, de eiusdem consilio dubitari vix potest. quid enim aptius erat quam exposita rerum necessitudine qua Troia et Roma coniunctae essent, antequam singula persequeretur, totius urbis Romae originem magnitudinem potestatem in universum hospiti a poeta monstrari? qua de causa hanc elegiam inter primas periegeseos urbis Romae partes fuisse suspicor. itaque iam imperfecti huius operis haec nobis servata esse invenimus carmina: V, 1a; 1b; 2; 4; 6b; 9; 10.

Postquam haec de carm. V, 1b magis divinavimus quam demonstravimus, nunc quid de carm. V, 1c consilio statuendum sit videamus. atque quanto errore epicum opus condi coeptum a Propertio improbatum esse hoc carmine olim dixerint interpretes, magis etiam nunc perspici licet, ubi tota elegia non id agere horoscopum animadvertimus, ut commendet poesin amatoriam, sed ut praedicat Propertio certae puellae nimis superbae gravem amorem. hanc vero non aliam esse puellam quam ipsam Cynthiam pro certo affirmari potest. namque cum totam Propertii vitam ante peractam diligenter perlustraret Horos, ut suo vaticinio fidem faceret, illam quoque se sua arte compertam habere simulans: qui Cynthiae amorem, quippe qui tam diu poetam tenuisset, non commemorare po-

terat, si quidem ille iam tum initium ceperat? sed eis etiam respondendum est, qui simili de causa horoscopum potius spectare dicant ad Lycinnam quae a Propertio IV, 15 vv. 5 sq. commemorata sit. at quoniam *illa rudes animos per noctes conscia primas imbuit* tantum amore, huius puellae mentio necessaria non erat. praeterea si Lycinna nova est amica quae veteres ultura esse dicitur, de quibusnam puellis rettulit Propertius victrices palmas quae vv. 139 sq. commemorantur? nam illam toga virili sumpta (cfr. IV, 15, 3 sq.) primam neque ullam antea amavit poeta. ergo palmas victrices a Lycinna reportavit easque eludet Cynthia quam postea amore amplexus est (cfr. IV, 15, 7 sqq.) qui Cynthiae amor, quoniam Lycinna brevi tantum amore erudivit poetam, non multum post illius primam familiaritatem i. e. post togam virilem sumptam initium cepisse putandus est. atqui in idem fere tempus eius puellae quam intellegat Horos consuetudinem primam incidere et v. 131 coll. vv. 139 sq. et eo demonstratur quod elegiarum scribendarum consilium solum, non scriptarum fama memoratur in nostro carmine (cfr. vv. 135 sq.). has autem componere coepit poeta, postquam toga virili sumpta mox Cynthiae amore captus est*). huius igitur amorem pronuntiat horoscopus. attamen si quae de Apolline vv. 133 sqq. narrentur desumpta esse e carm. IV, 3 vere coniecit Heimreichius in symb. ph. B. p. 676, tota haec nostra disputatio iterum corruere videtur, quoniam illud carmen cum toto suo libro multo post Cynthiam amari coeptam scriptum est. at imitationis ne vestigium quidem est, cum praeter verborum dissimilitudinem sententiae etiam discrepent: namque Apollo illic ne bella carmine epico canat (cfr. vv. 3 sq.; 39 sqq.), hic ne in foro causas dicat (cfr. vv. 133 sq.), Propertium deterret**). ergo Cynthiae amorem ab

---

*) Cfr. quae capite quarto de temporibus quibus Lycinnae et Cynthiae amores comprehenduntur disseruimus.

**) Ceterum patris Propertii mortem quam vv. 127 sq. commemoret e carm. I, 22 coniectura assecutum esse horoscopum censuit quidem Heimreichius in symb. ph. B. p. 675 neque tamen certis argumentis evinci potest; credibile enim est de hac re famam fuisse sat notam omnibus.

horoscopo praedici poetae evicimus. age iam considerate qualis sit iste horoscopus. ioci nonne amantissimum dicemus? an serio de gente sua gloriatur vv. 77 sqq.? an serio illud de Cinarae puerperio vaticinium refert vv. 99 sqq? an serio vitam patriamque Propertii, res omnibus notas, decantavit vv. 121 sqq., quasi eas recondita arte acceptas teneret? denique vaticinio cavere, ne quis duram puellam amare coeperit, nonne lepide est inventum? iam vero quis est ille horoscopus? num ipse Propertius? cogitari profecto nequit quod magis sit ineptum absurdum ridiculum, quam ipsum Propertium vel serio vel iocose sibi suum Cynthiae amorem oraculo pronuntiare. praeterea si ipse Propertius horoscopi personam assumpsit, cur qui tamen id sequatur, ut suis ipsius oraculis fidem habeat, non accuratius definit patriam suam quam nunc vv. 121 sqq. sat obscuris finibus circumscribit? at, inquis, transtulit hunc locum sine dubio e carm. I, 22 et quae illic scripsit noluit mutare. immo ipsum Propertium ita suas copias despoliare potuisse iure negavit Heimreichius in symb. ph. B. p. 675, quia talis translationis utilitas nulla cernitur. contra si alius sub horoscopi persona latet quem hominem multi ioci esse iam vidimus, hic translatis in suum usum versibus illis ad melius describendam poetae patriam consulto nihil addidit, scilicet ut hanc non ex astris arte sua tantis laudibus elata se cognitam habere lepidissime proderet, sed e Propertii elegiis. quae cum ita sint, facetissimi alicuius amici est nostra elegia qua horoscopi persona indutus Propertium monet, ne Cynthiae amore, quo teneri coeptus, erat prorsus irretiatur. neque vero haec sententia eo evertitur quod hoc carmen ipso eo tempore quo coeperit Cynthiae amor compositum respicere Heimreichio concedimus ad carm. I, 22: quod libro continetur post illud tempus edito. etenim illud carmen, quod certo temporis signo

---

neque agrorum distributio (vv. 129 sq.), quae potest vel a Propertio III, 34, 55 sq. commemorata videri, per se certe habet quo falsa esse existimanda sit; nam Vergilii exemplum imitatum esse horoscopum qua ratione potest confirmari?

careat, quidni conicere liceat iam antea scriptum et si non omnibus poetae fautoribus, at certe Tullo cui inscriptum est aliisque amicis traditum esse? quid? quod vel coniectura ex hac re fieri potest eum qui nondum edito libro primo*) carm. I, 22 utatur in carm. V, 1c ipsum esse Tullum. quem iuvenem et Propertio familiarissimum fuisse constat praeter cetera e I, 6, 1 sqq.; 19 sqq.; 22, 2. is autem si Propertium revocavit a Cynthiae amore, facile explicatur cur adversus hunc eum defendat poeta I, 14. quid vero? carm. I, 1, quod pulsum a Cynthia poetam scripsisse Lachmannus edit. Lipsiensis praef. pp. XXIII sq. probavit, illius vaticinii memor disertis fere verbis ad carm. V, 1c respicere videtur. nam I, 1 v. 25:

aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici —

ad nostri carminis auctorem nonne quam maxime pertinet? atqui illa quoque elegia ad Tullum missa est (cfr. v. 9). quibus rebus quamvis ab hoc ipso id, de quo dicamus, carmen scriptum esse pro certo non evincatur, assequitur tamen nescio quam probabilitatis speciem haec suspicio, ut dolendum profecto sit quod de Tullo nihil fere certi compertum habemus. sed de his satis. amicus certe aliquis Propertio inscripsit carm. V, 1c.

Iam veniamus ad elegiam quintam, cuius argumentum quidem et per se perspicuum est et illustratur etiam comparato Ovidii amorum carm. I, 8. de eiusdem autem consilio facilius iudicium esset, si quaenam esset illa puella, a qua contemptum se dicit poeta, satis constaret. atque de Cynthia hic loqui poetam sibi persuasit Hertzbergius, at infirmis me iudice ductus argumentis. nam versus e carm. I, 2 ante v. 55 male repetitos, quibus documento usus est, eiciendos esse supra monuimus. deinde quod aliam atque Cynthiam a Propertio suam amicam (cfr. v. 61) appellari neget, nihili esse concedes, cum praeter eam nullam fere commemoret. praeterea lenam immundam et pauperem cultae et divitis puellae dominam

---

*) Cfr. quae capite quarto de libri primi editi et carm. V, 1c scripti temporibus disputavimus.

fuisse nemo facile credet. hanc tamen difficultatem ita removere conatur, ut eam ministram tantum et custodem amicae velut a potenti illo praetore (cfr. carm. I, 8; III, 16.) additam esse coniciat. at a tali amico num credibile est Cynthiam in pergula (cfr. v. 68) servatam esse? num Cynthiam ipsam talem custodiam toleraturam fuisse? atque si custos tantum est, non domina amicae mulier, cur non in praepotentem potius amicum quam in illam invehitur poeta? praeterea quis lenam et eam quidem potricem amicae custodem faciet nisi insanus? neque vero vv. 71 sq.:

et canis in nostros nimis experrecta dolores,
cum fallenda meo pollice clatra forent

in hanc sententiam nisi vi contorti trahi possunt. si libero animo leguntur, puellam a domina vel matre in pergula custoditam ostendunt. haec autem Cynthiae conditio vix erat; quam a nulla impeditus lena libere semper visit Propertius (cfr. carm. I, 3; III, 29.); quam si non receperit amatorem, sua voluntate commotam esse, ut eum excluderet, innumeris locis testatur; quam libere peregre profectam esse narrat (cfr. carm. III, 32, 3 sqq.; III, 19). his igitur de causis posset explosa videri Hertzbergii opinio, nisi similem ei quae hoc carmine depingitur suam vitae conditionem ipsa Cynthia adumbraret carm. V, 7 vv. 15 sqq.:

iamne tibi exciderant vigilacis furta Suburae
et mea nocturnis trita fenestra dolis?
per quam demisso quotiens tibi fune pependi
alterna veniens in tua colla manu!
saepe Venus trivio commissa est, pectore mixto
fecerunt tepidas proelia) nostra vias.*

quibus versibus carmen quintum ad Cynthiam necessario referendum esse non demonstratur, at posse referri tamen ostenditur.

---

*) Sic enim memini codicum scripturam *pallia,* quae sententiam quam maxime languidam efficiat, olim a seminarii philologici Kiloniensis sodale emendari.

Certiorem autem de carminis septimi consilio sententiam ferre possumus. scriptum enim hoc esse post Cynthiae mortem patet. atqui cum carm. IV, 25 a Propertio illa plane expulsa sit neque amorem postea continuatum esse ullis elegiis significetur, qui factum est, ut tamen Cynthiae mortuae honorificam hanc memoriam conderet? solet, ut aiunt periti, vetus amor ita inhaerere amantibus, ut ne maximis quidem amicae iniuriis totus exstingui possit. quod cum etiam Propertio evenisset, amoris memoria subita Cynthiae nuper excussae morte ita renovata est, ut somnii fortasse non ficti narrationem in eius honorem componeret.

Iam tertium carmen poeticarum epistularum, quas postea Ovidius ab heroinis scriptas simulavit, primum exemplum esse volunt, paulum tamen ut mihi videtur a vero aberrantes. namque cum epistulae illae e fabulis antiquis maxime argumenta sua hauserint, nostrum carmen memorato bello Parthico profecto ad ipsum hoc tempus quo scriptum esse feratur spectare putandum est. praeterea Arethusae et Lycotae coniugium nulla, nisi quid me fugit, fabula traditur. itaque his personis veri homines sine dubio subsunt. at Postumum et Gallam, de quibus est carm. IV, 12, sic notari, ut quidam suspicati sunt, firmis argumentis neque evinci neque infringi potest. ergo Propertius intercedente uxore hanc epistulam misisse censendus est ad amicum quendam adversus Parthos stipendia merentem, ut illi et uxoris et amicorum memoriae documentum esset. atque hoc in officio ficta nomina, quae dudum usu inter amicos nota recepisse aut nunc ipse excogitasse potest, adhibuit. quo lenocinio vel artificio etiam proximo ante nos saeculo amantes et amici in epistulis suis usi dicuntur.

Denique de carm. V, 6a, 8, 11 consilio per se satis perspicuo cur amplius disputemus idonea causa non adest.

Caput III.

Elegiarum quae quinto Propertii libro comprehenduntur et dispositiones et rationes strophicae describuntur.

Postquam in universum carminum nostrorum consilium significavimus, nunc quibus partibus eorum argumenta distributa sint dispositionibus et rationibus strophicis expositis demonstrabimus. quare haec carmina non solum absoluta fere omnia, sed etiam versibus aut traiectis aut eiectis probabiliter emendata esse fore spero ut evincatur *). nam in imperfectis operibus concinnae partes vix inveniuntur neque casu fit, ut omissis vel transpositis quibusdam versibus certus stropharum ordo evadat. nam quamvis incertum etiamnunc de strophica certorum carminum antiquorum compositione sit iudicium, tamen ut nobis nunc patet, ita ne antiquos quidem poetas ipsos fugisse vel propter probabilium exemplorum multitudinem putanda est. nimirum illam, si insita ingenii vi nacti sunt, quae quidem opinio prorsus certe reicienda non est, tamen non potuit fieri ut non animadverterent et expolirent retractantes carmina in schedas coniecta. sin autem scholastico usu, cuius apud poetas Romanos prae ceteris magnum erat momentum, vel propter modum et numeros, quibus aequabiles carminum partes maiore gratia aptantur, illam proprio studio affectabant, magis etiam ad nostram de perfecta et absoluta horum carminum arte sententiam defendendam ubi invenitur confert. ceterum nostra

---

*) Haec autem ita accipi nolo quasi quaesitae responsionis causa unquam versus aut damnandos aut transponendos censeam.

carmina imprimisque ea quae ad periegesin urbis Romae pertinent vix certis modis instructa erant. itaque eorum distributiones strophicae alia potius causa ortae sunt. nam ut rhetores antiqui aequabili partium in orationibus divisioni et amplitudini, ita poetae concinnae carminum singularumque in eis sententiarum formae et expositioni multo magis indulserunt, quam ei plerumque qui hodie versibus condendis operam dant. hoc autem prae ceteris cadit in eas elegias quas de urbe Roma compositas esse vidimus ad Callimachi exemplum; nam Alexandrini quantum talibus artificiis gaudium perceperint notum est.

His praemissis ad rem illustrandam iam libri nostri carmina aliquot strophis disposita exprimenda curabo atque in his distributionis causas etiam copiosius explicabo: ceterorum autem formulas tantum apponam quibus ducti lectores singula ipsi si placet exquirent.

Carmina e Sexti Propertii elegiarum libro quinto sublata.

Carmen Ia.

A. a. Hoc quodcunque vides, hospes, qua maxima Romast,
ante Phrygem Aenean collis et herba fuit:
atque ubi navali stant sacra Palatia Phoebo,
Euandri profugae concubuere boves.

b. Fictilibus crevere deis haec aurea templa
nec fuit opprobrio facta sine arte casa,
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
et Tiberis nostris advena bubus erat.

c. Qua gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
unus erat fratrum maxima regna focus;
curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
pellitos habuit rustica corda patres.

d. Bucina cogebat priscos ad verba Quirites:
centum illi in prato saepe senatus erat;
nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,
pulpita sollemnis non oluere crocos.

B. a. Nulli cura fuit externos quaerere divos,
cum tremeret patrio pendula turba sacro,
annua at accenso celebrare Parilia faeno,
qualia nunc curto lustra novantur equo. 20

b. Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
ducebant macrae vilia sacra boves;
parva saginati lustrabant compita porci,
pastor et ad calamos exta litabat ovis.

c. Verbera pellitus saetosa movebat arator, 25
unde licens Fabius sacra lupercus habet.
nec rudis infestis miles radiabat in armis:
miscebant usta proelia nuda sude.

d. Prima galeritus posuit praetoria Lycmon,
magnaque pars Tatio rerum erat inter oves. 30
hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni,
quattuor hinc albos Romulus egit equos. 32

C. a. Nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus: 37
sanguinis altricem non pudet esse lupam. 38
optima nutricum nostris lupa Martia rebus, 55
qualia creverunt moenia lacte tuo!

b. Moenia namque pio conor disponere versu:
hei mihi quod nostro est parvus in ore sonus!
sed tamen exiguo quodcunque e pectore rivi
fluxerit, hoc patriae serviet omne meae. 60

c. Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi. 64

d. Roma, fave, tibi surgit opus: date candida cives 67
omina, et inceptis dextera cantet avis.
sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:
has meus ad metas sudet oportet equus. 70

Carmen II.

A. Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
accipe Vertumni signa paterna dei.

B. a. Tuscus ego, et Tuscis orior, nec paenitet inter
proelia Volsinios deseruisse focos.
haec me turba iuvat, nec templo laetor eburno: 5
Romanum satis est posse videre forum.

b. Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
remorum auditos per vada pulsa sonos:
at postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus. 10

C. a. Seu, quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni vulgus credidit esse sacrum. 12

b. Nam quid ego adiciam, de quo mihi maxima famast, 41
hortorum in manibus dona locata meis?
caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
me notat et iunco brassica vincta levi.

c. Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter 45
impositus fronti langueat ante meae; 46
prima mihi variat liventibus uva racemis 13
et coma lactenti spicea fruge tumet.

d. Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna 15
cernis et aestivo mora rubere die;
insitor hic solvit pomosa vota corona,
cum pirus invito stipite mala tulit.

a[1]. Mendax fama, hospes, male fit mihi nominis index:
de se narranti tu modo crede deo. 20

C[1]. a. Opportuna mea est cunctis natura figuris:
in quamcunque voles verte, decorus ero.

b. Indue me Cois, fiam non dura puella:
meque virum sumpta quis neget esse toga?
da falcem et torto frontem mihi comprime faeno: 25
iurabis nostra gramina secta manu. —
arma tuli quondam et, memini, laudabar in illis:
corbis in imposito pondere messor eram.

c. Sobrius ad lites: at cum est imposta corona,
clamabis capiti vina subesse meo. — 30
cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
furabor Phoebi, si modo plectra dabis;
cassibus impositis venor: sed arundine sumpta
Faunus plumoso sum deus aucupio.

d. Est etiam aurigae species Vertumnus, et eius,
traicit alterno qui leve pondus equo;
suppetat hoc, pisces calamo praedabor, et ibo
mundus demissis institor in tunicis. —
pastorem ad baculum possum simulare, vel idem
sirpiculis medio pulvere ferre rosam.

a^1. Sic mihi, quod formas unus vertebar in omnes, 47
nomen ab eventu patria lingua dedit.

B^1. a. Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
unde hodie vicus nomina Tuscus habet,
tempore quo sociis venit Lycomedius armis
atque Sabina feri contudit arma Tati.

b. Vidi ego labentes acies et tela caduca,
atque hostes turpi terga dedisse fugae.
sed facias, divum sator, ut Romana per aevum
transeat ante meos turba togata pedes.

A^1. Sex superant versus (te, qui ad vadimonia curris,
non moror.): haec spatiis ultima meta meis.

D. Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
ante Numam grata pauper in urbe deus. —
at tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
tellus artifices ne terat Osca manus,
qui me tam docilis potuisti fundere in usus.
unum opus est, operi non datur unus honos.

Carmen Ic quod falso Propertii esse fertur.

A. „Quo ruis imprudens, mage, dicere fata Properti? 71
non sunt ah dextro condita fila colo.
aversis musis cantas: aversus Apollo:
poscis ab invita verba pigenda lyra.“

A^1. Certa feram certis auctoribus: haud ego vates
nescius aerata signa movere pila.
me creat Archytae suboles Babylonius Horops
Horon, et a proavo ducta Conone domus.

B. a. Di mihi sunt testes non degenerasse propinquos,
inque meis libris nil prius esse fide.

b. Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos, 89
(illa dabat natis arma vetante deo.) 90
non posse ad patrios sua pila referre penates:
nempe meam firmant nunc duo busta fidem. —
quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
heu sibi prolapso non bene cavit equo:
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur, 95
concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
fatales pueri, duo funera matris avarae.
vera, sed invito contigit ista fides.

c. Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores
et facerent uteri pondera lenta moram, 100
„Iunonis votum facite impetrabile“ dixi:
illa parit, libris est data palma meis. 102

— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —

B[1]. a. Hactenus historiae: nunc ad tua devehar astra: 119
incipe tu sacris aequus adesse novis. 120

b. — — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — —

hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum, 103
aut sibi commissos fibra locuta deos,
aut siquis motas cornicis senserit alas, 105
umbrave quae magicis mortua prodit aquis:
adspicienda via est caeli verusque per astra
trames, et ab zonis quinque petenda fides. 108

c. Nunc pretium fecere deis, et fallitur auro 81
Iuppiter, obliquae signa iterata rotae.

— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —

felicesque Iovis stellas Martisque rapacis,
et grave Saturni sidus in omne caput,
quid moveant pisces animosaque signa leonis 85
lotus et Hesperia quid capricornus aqua. 86

d. Umbria te notis antiqua penatibus edit 121
(mentior? an patriae tangitur ora tuae?),
qua nebulosa cavo rorat Mevania campo
et lacus aestivis intepet Umber aquis
scandentisque Asisi consurgit vertice murus,
murus ab ingenio notior ille tuo. —
ossaque legisti non illa aetate legenda
patris, et in tenues cogeris ipse lares:
nam tua cum multi versarent rura iuvenci,
abstulit excultas pertica tristis opes.

e. Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
matris et ante deos libera sumpta toga,
tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo
et vetat insano verba tonare foro —:
„at tu finge elegos, fallax opus, (haec tua castra)
scribat ut exemplo cetera turba tuo.
militiam Veneris blandis patiere sub armis
et Veneris pueris utilis hostis eris. 138
ei! bene cum fixum mento discusseris uncum, 141
nil erit hoc, rostro te premet ansa suo.“ 142

f. Iam tibi victrices, quascunque in amore parasti, 139
eludet palmas una puella tuas: 140
illius arbitrio noctem lucemque videbis, 143
gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.
nec mille excubiae nec te signata iuvabunt
limina: persuasae fallere rima sat est. —
nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
vel licet armatis hostis inermis eas,
vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum:
octipedis cancri terga sinistra time.

Carmen III.

A. Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
cum totiens absis, si potes esse meus.

B. a. Siqua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
haec erit e lacrimis facta litura meis:
aut siqua incerto fallet te littera tractu,
signa meae dextrae iam morientis erunt.

b. Te modo viderunt [iteratos Bactra per ortus]
te modo munito Neuficus hostis equo,
hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
ustus et eoa discolor Indus aqua.

C. a. Haecne marita fides et pactae in savia noctes,
cum rudis urgenti bracchia victa dedi? —
quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
traxit ab everso lumina nigra rogo,
et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
vitta data est, nupsi non comitante deo.

b. Omnibus heu portis pendent mea noxia vota:
texitur haec castris quarta lacerna tuis. —
occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum
et struxit querulas rauca per ossa tubas,
dignior obliquo funem qui torqueat Ocno
aeternusque tuam pascat, aselle, famem.

c. Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
num gravis imbelles atterit hasta manus? —
haec noceant potius quam dentibus ulla puella
det mihi plorandas per tua colla notas.
diceris et macie vultum tenuasse: sed opto,
e desiderio sit color iste meo.

d. Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla
et texit galea barbara molle caput. —
Romanis utinam patuissent castra puellis!
essem militiae sarcina fida tuae,
nec me tardarent Scythiae iuga, cum pater altas
tetricus in glaciem frigore nectit aquas.

e. Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem. —
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —

C¹. a. At mihi cum noctes induxit Vesper amaras,
siqua relicta iacent, osculor arma tua. —
tum queror in toto non sidere pallia lecto,
lucis et auctores non dare carmen aves;
noctibus hibernis castrensia pensa laboro
et Tyria in radios vellera secta suos.

b. Et disco qua parte fluat vincendus Araxes,
quot sine aqua Parthus milia currat equus. —
cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
qualis et haec docti sit positura dei,
quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu
ventus in Italiam qui bene vela ferat.

c. Adsidet una soror, curis et pallida nutrix
peierat hiberni temporis esse moras.
— — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — —

d. Nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris
crystallusque meas ornet aquosa manus. —
omnia surda tacent, rarisque adsueta kalendis
vix aperit clausos una puella lares.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
illa tui partem vindicat una toro.

e. Flore sacella tego, verbenis compita velo
et crepat ad veteres herba Sabina focos. —
sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
seu voluit tangi parca lucerna mero,
illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
succinctique calent ad nova lucra popae.

B^1. a. Ne, precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,
raptave odorato carbasa lina duci,
plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
subdolus et versis increpat arcus equis.

b. Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
pura triumphantis hasta sequatur equos)
incorrupta mei conserva foedera lecti.
hac ego te sola lege redisse velim.

A^1. Armaque cum tulero portae votiva Capenae,
subscribam „salvo grata puella viro.“

Carmen V.

A. Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim,
nec sedeant cineri manes, et Cerberus ultor
turpia ieiuno terreat ossa sono.

B. a. Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem 5
concordique toro pessima semper avis,
Penelopen quoque neglecto rumore mariti
nubere lascivo cogeret Antinoo. 8

b. Audax cantatae leges imponere lunae 13
et sua nocturno fallere terga lupo,
posset ut intentos astu caecare maritos, 15
cornicum immeritas eruit ungue genas.

c. Consuluitque striges nostro de sanguine et in me
hippomanes fetae semina legit equae.
exorabat opus verbis, ceu blanda pererrat
saxosamque terit sedula lympha viam. 20

C. a. „Si te eoa Dorozantum iuvat aurea ripa
et quae sub Tyria concha superbit aqua,
Eurypylique placet Coae textura Minervae
sectaque ab Attalicis putria signa toris,
seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae 25
murreaque in Parthis pocula cocta focis,
sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
frange et damnosae iura pudicitiae. 28

b. Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus, 57
utere, ne quid cras libet ab ore dies.
vidi ego odorati victura rosaria Paesti
sub matutino cocta iacere noto. 60

c. Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra 37
quidlibet. has artes si pavet ille, tenes.
semper habe morsus circa tua colla recentes,
litibus alterius quos putet esse datos. 40

d. Nec te Medeae delectent probra sequacis
(nempe tulit fastus ausa rogare prior.),
sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
cum ferit astutos comica moecha Getas.

e. In mores te verte viri: si cantica iactat, 45
i comes et voces ebria iunge tuas. 46
et simulare moram pretium facit: utere causis: 29
maior dilata nocte recurret amor. 30

f. Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
post modo mercata pace premendus erit.
denique ubi amplexu Venerem promiseris empto,
fac simules puros Isidis esse dies.

g. Ingerat apriles Iole tibi, tundat Amycle 35
natalem maiis idibus esse tuum. 36
ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis, 47
surdus in obductam somniet usque seram.

a¹. Nec tibi displiceat miles non factus amori,
nauta nec attrita si ferat aera manu, 50
aut quorum titulus per barbara colla pependit,
caelati medio cum saluere foro.
aurum spectato, non quae manus afferat aurum.
versibus auditis quid nisi verba feres?
qui versus, Coae dederit nec munera vestis, 55
istius tibi sit surda sine aere lyra." 56

B¹. a. His animum nostrae dum versat Acanthis amicae, 61
horruit algenti pergula curta foco. 68
sed cape torquatae, Venus o regina, columbae 63
ob meritum ante tuos guttura secta focos.

b. Vidi ego rugoso tussim concrescere collo, 65
sputaque per dentes ire cruenta cavos,
atque animam in tegetes putrem expirare paternas; 67
ossaque per tenues sunt numerata cutes. 62

c. Exequiae fuerant rari furtiva capilli 69
vincula et immundo pallida mitra situ, 70
et canis in nostros nimis experrecta dolores,
cum fallenda meo pollice clatra forent.

A¹. Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo:
urgeat hunc supra vis, caprifice, tua.
quisquis amas, scabris hoc bustum caedite saxis, 75
mixtaque cum saxis addite verba mala.

Atque ut ab eis elegiis exordiamur quae ad periegesin urbis Romae spectant, carm. V, 1a, quod vv. 1 — 70 exclusis vv. 33 — 36; 39 — 54; 65 sq. constare vidimus, *sacra diesque et cognomina prisca locorum* (v. 69) et *moenia* (v. 57) urbis Romae se cantaturum esse ceteris eiusdem generis elegiis Propertius

prooemiatur. Bipartito igitur opere partim regiones et aedificia, partim antiquitates sacras describet. quo consilio ductus ipsum argumentum quod vv. 37 sq.; 55 — 64; 67 — 70 laudata breviter urbis Romae magnitudine proponitur bifariam ita praeparat, ut vv. 1 — 16 quantum Romae templa aliaque aedificia mutata atque aucta sint, vv. 17 — 32 qua ratione novi et lautiores deorum cultus apud Romanos deinceps in usum venerint maxime enarretur. itaque tres senorum denorum versuum partes habemus, quarum unaquaeque quater quaternos versus comprehendit. namque distichorum paria aut particulis additis aut ipsarum sententiarum vinculo conecti facile perspicies. qua de causa huius carminis simplex est haec forma:

4 >< 4 | 4 >< 4 | 4 >< 4.

Hinc missis lacerati carm. V, 1b frustis transgrediamur ad carm. V, 2; de cuius dispositione ita disseruit Hertzbergius I p. 82, ut rerum rationem sensisse quidem neque tamen satis diligenter exposuisse censendus sit. hoc enim carmine, cuius vv. 41 — 46 post v. 12 inseruimus, id maxime agit poeta, ut, praefatus de falsa Vertumni nominis origine vv. 11, 12; 41 — 46; 13 — 20, veram eius explicationem tradat vv. 21 — 40; 47, 48. his igitur versibus cum duae primariae carminis partes contineantur, priori praecedunt (vv. 3 — 10.) posteriorem secuntur (vv. 49 — 56.) octoni versus. qui cum utrique Vertumnum a Tuscis Romam transmigrasse ibique ut semper sedem teneat optare ostendant, manifesto sibi respondent. denique restant in initio vv. 1 sq. quibus auditoris animum attendit deus, in fine vv. 57 sq. perorasse se neque diutius illum moratum iri dicit. hic autem accedunt vv. 59 — 62 Mamurium artificem laudantes. et haec quidem hactenus de primariis elegiae partibus. ad singula ut veniamus, vv. 3 — 10 et vv. 49 — 56 utrique bis quaternos versus efficiunt vel particulis (cfr. v. 9 et 55) vel sententia ipsa (cfr. v. 51) coniugatos. neque aliter composita est de falsa Vertumni nominis fama enarratio. namque falsus de illo apud

vulgus rumor vv. 11 sq. significatur, vv. 19 sq. reicitur: quare hos sibi versus opponi manifestum est. in medio autem cur perperam de nomine suo statuerit fama ter quaternis versibus exponit Vertumnus, quoniam continentur vv. 15—18 anaphora (v. 15 *hic-hic*, v. 17 *hic*), vv. 45 sq. et 13 sq. pronomine primae personae (v. 46 *impositus fronti meae;* v. 13 *mihi variat*), vv. 41—44 commemoratis v. 43 hortorum fructibus quos v. 42 indicat. similis etiam alterius de vera nominis explicatione partis est dispositio. binis enim versibus (vv. 21 sq. et vv. 47 sq.) argumentum pronuntiatur et absolvitur. at interpositi sunt non ter quaterni, sed ter seni versus; quem quidem versuum numerum paulo maiorem servato eodem stropharum numero Vertumno iam suam sententiam proferenti quivis, puto, facile concedet, praesertim cum ne hic quidem quaternarius numerus prorsus neglectus sit. in initio enim cum vv. 23—26 imperativis contineantur, his adiciuntur vv. 27 sq. qui propter similem in v. 28 et 26 sententiam ab illis separandi non sunt. in sequentibus autem duos vv. 29 sq. excipiunt vv. 31—34 deorum quos imitari se posse Vertumnus adseverat nominibus conexi. reliqui versus iterum sic probabiliter distribuuntur, ut quattuor versus duobus praecedant. ergo singulis his strophis inter se comparatis ad chiasmum versus compositos esse intelleges. denique etiam Mamuri laus ita comparata est, ut duos versus sequantur quattuor arctioribus vinculis cohaerentes. ergo totius carminis dispositionem hac tabula describere possumus:

2. | 2×4 | 2.4.4.4.2. | 2.4 + 2.2 + 4.4 + 2.2 | 2×4. | 2 | 2 + 4.

Iam transiliamus ad carm. V, 4, in quo vv. 71 sq. ante v. 27 inserendos, sed post v. 26 aliquot versus omissos esse docuimus. atque his rebus observatis, praeterquam quod vv. 1 sq., vv. 69 sq., vv. 93 sq. argumentum significatur in initio et fine carminis et ante eam narrationem in qua fabulae cardo vertitur, quattuor maxime huius carminis partes inveniuntur,

quarum distributionem et responsionem perspicies hac formula comparata:

2.|4 + 2.4 + 2.|(4 + x)×4.|2.9×4.2|2|2 + 4.4.4.2 + 4.|2.

Nunc venimus ad carm. V, 6b quod omissis vv. 45 sq. constat e V, 6 vv. 11 — 68. huius autem cum vv. 11 sq. et vv. 67 sq. argumentum solito more proferatur et absolvatur, cetera tripartita sunt in hunc modum:

2.|4×(2 + 4)|4×4|2×(2 + 4)|2.

Age iam transeamus ad carm. V, 9, in quo vv. 43 sq. ante v. 67, sed vv. 67 sq. ante v. 33 inseruimus; praeterea eiecto v. 42 post v. 41 nec non post v. 64 aliquot versus deperditos esse concessimus. quibus rebus cum carminis integritas deminuta sit, tamen tribus partibus enarrari apparet primum vv. 1 — 20 fori Boarii originem, tum vv. 21 — 70 Herculis cum Bonae deae sacerdotibus certamen et arae maximae originem cultumque, denique vv. 71 — 74 Sancti cognominis causam. itaque huius elegiae haec videtur esse forma:

6.2×4.6|2.2×4.2.(2 + x)×6.2.2×4.2.2.6(?)|4.

Atque etiam carm. V, 10 distributio omissis aliquot ante v. 43 versibus incerta est. quanquam praeter vv. 1 — 4 et vv. 45 — 49 quibus argumentum proponitur et clauditur tres de spoliis opimis ter relatis narrationes facile discernuntur. qua de causa hanc elegiam ad hunc modum conditam esse putaverim:

4.|6.6.6.|8.8.|6.6.6(?)|4.

His absolutis iam reliqua videamus carmina, et primum quidem carm. V, 1c quod complecti invenimus V, 1 vv. 71 — 80; 89 — 102; 119, 120; 103 — 108; 81 — 86; 121 — 138; 141, 142; 139, 140; 143 — 150. tres autem huius elegiae

partes nemo non agnoscet. initium enim carminis quattuor versibus adversarium de horoscopi arte dubitantem ostendit (vv. 71—75.): quem totidem versibus ita refellit ille, ut aversis musis aversoque Apollini opponat maiores suos, quibus certis auctoribus certa oracula daturus sit. huic prooemio tum subiciuntur duae principales elegiae partes. nam horoscopus usque ad v. 119 dubitationes de fide sua et arte prolatas perlustratis eis vaticiniis quae vera dederat refutat; inde ab hoc versu praemissa per oraculum de Propertii vita narratione ipsum Cynthiae amorem vaticinatur. atque altera pars, ab hac ut initium capiamus, quia minus mutilata videtur, uno disticho praeparatur vv. 119 sq. at, missis interim quos inter v. 120 et v. 121 inseruimus versibus, tum decem versibus de ortu primaque iuventute Propertii disserit horoscopus vv. 121—130; deinde totidem versibus imperium ab Apolline adulescenti datum refert vv. 130—139; 141, 142; denique iterum decem versibus superbae Cynthiae amorem praedicit vv. 139, 140; 143—150. hae autem denorum versuum strophae ad chiasmi modum ita conformatae sunt, ut in prima sex versibus quattuor subiciantur, in altera totidem versibus quattuor praecedant, in tertia rursus sex versus quattuor subsequantur. prioris autem partis item, ut alterius de qua modo locuti sumus, argumentum uno disticho pronuntiatur vv. 79 sq. atque de Arriae filiis oraculum etiam decem versibus enarratur vv. 89—98. his pertractatis restant e priore parte vv. 99—102, e posteriore vv. 103—108 et 81—86; de quibus, quoniam vicini eorum versus exciderunt, certi nihil dici potest. tamen cum vv. 103—108 senarium, vv. 99—102 quaternarium numerum, quem in denorum versuum strophis illis observavimus, haud dubie exhibeant, hos versus olim similium stropharum membra fuisse cum aliqua probabilitatis specie conici licet. quibus de causis huius elegiae hanc formulam proponimus:

$$\underbrace{4.4.}|\underbrace{\underbrace{2.(1+x)\times 10.}|\underbrace{2.(x+3)\times 10.}}$$

Minus turbata est carm. V, 3 dispositio. quanquam etiam in hoc vv. 43—50 post v. 28 insertis lacunas notavimus

ante v. 29 et ante v. 51. quae cum ita sint, tamen certa haec sunt. et primum quidem epistulae inscriptioni (vv. 1 sq.) respondet sine dubio armorum votivorum titulus (vv. 71 sq.). illam autem secuntur bis quaterni versus quibus Lycotae in bellis absentiam Arethusa deplorat (vv. 3 — 10.); totidemque huic praecedunt (vv. 63—70) quibus eadem absentem maritum ut Parthorum tela caveat et fidus uxori mox redeat monet. in medio autem carmine usque ad v. 28 Arethusam malis omnibus se nuptam duramque coniugis militiam queri, inde a. v. 29 tristem suam in relictis aedibus cum paucis ancillis vitam describere praetermissis interim vv. 41 — 56 observamus. in utraque autem parte senorum versuum strophae ita conformatae sunt, ut singulis distichis bina subiungantur. nam Arethusa vv. 11 — 16 invitis deis se nuptam Lycotae plorat; vv. 17 — 22 armorum inventorem exsecratur; vv. 23 — 28 maritum dura militia vexatum ostendit; itemque vv. 29—34 quid deserta noctibus egerit narrat; vv. 35 — 40 se terrarum situm, in quibus versetur coniunx, ediscere refert; vv. 57 — 62 pro reditu coniugis cotidie vota se facere affirmat. his explicatis age iam redeamus ad vv. 41 — 56. quorum vv. 43 — 50 post v. 28 transtulimus. atque vv. 43 — 48 optat Arethusa ut asperae militiae consors esse possit maritum secuta. hoc autem votum ut manifesto ad priorem elegiae partem quae vv. 1 — 28 continetur pertinet, ita etiam ea sententia quam ad vv. 49 sq. intellegendos subaudiendam esse indicavimus, scilicet mariti amore omnia pericula militiae leniri, tam arctis cum eadem parte vinculis conexa est, ut hi versus inde separari non possint. itaque prioris partis iam habemus quinque senorum versuum strophas: nam quattuor tantum post v. 50 omissos esse versus, dummodo hi sententiae satisfaciant, nostro iure statuimus, quoniam ne illud quidem certius evinci potest, plures quam quattuor excidisse. ab altera autem parte circumclusi sunt vv. 41, 42 et vv. 51 — 56; eidemque parti aperte tribuenda est querella qua ante vv. 51 sqq. Arethusam desertam de sordidis vestibus suis locutam esse coniecimus. atque haec etiam quattuor versibus absolvi poterat. itaque cum vv.

51 — 56 haud dubie senarium numerum repetant, in altera quoque parte quinquies senos versus invenimus. quae cum ita sese habeant, totum carmen ita conformatum est:

2. | 2 × 4. | 5 × (2 + 4) | 5 × (2 + 4) | 2 × 4. | 2.

Iam adeamus carm. V, 5, cuius versus exclusis vv. 9—12 ita ordinavimus: 1 — 8: 13 — 28; 57 — 60; 37 — 46; 29 — 36; 47 — 56; 61; 68; 63 — 67; 62; 69 — 76. in medio carmine lenam post praecepta in universum data quibus artificiis irretiri et diripi possit amator docere supra observavimus. octo autem versibus (vv. 21 — 28.) ut pudicitiam abiciat divitiarum quaerendarum causa puella admonetur; quibus respondent quodammodo totidem versus qui in fine orationis et ipsi ad divitias captandas adhortantur (vv. 49 — 56.). interpositi iam sunt viginti quattuor versus quos utrum ter octonos an sexies quaternos efficere dicas dubitare potes. sed tamen cum vv. 57 — 60 et vv. 41 — 44 sua sententia conexi a ceteris separentur, reliquorum quoque praeceptorum quae singulis distichis continentur paria semper quaternis versibus coniungere praestabit. denique lenae oratio utrimque circumdatur senis denis versibus. quorum manifesto vv. 1 — 4 et vv. 73 — 76 sibi respondent, quoniam utrique in mortuae lenae exsecrationibus versantur. neque inter reliquos certa quaedam sententiarum necessitudo deest. nam vv. 5 — 8; 13 — 20 de lenae vi magica praefatus quid in ipsum commiserit poeta exponit; atque vv. 60 — 72 propter ipsa haec peccata mulierem a Venere subita morte punitam et mortuam turpi funere elatam esse refert. ceterum hos versus, praesertim cum vv. 5 — 8 et vv. 69 — 72 a reliquorum argumento paululum recedant, et in initio et in fine elegiae quaternorum versuum strophis dispositos esse facile concedes. itaque totius carminis hanc formam invenimus:

4. | 4. 4. 4. | 8. 4. 4. 4. 4. 4. 4. 8. | 4. 4. 4. | 4.

Eadem fere dispositionis concinnitas deprehenditur in carm. V, 6a, quod e V, 6 vv. 1—10 et vv. 69—86 constare censemus, at omissis aliquot post v. 85 versibus. exhibet enim usque ad v. 82 sex quaternorum versuum strophas; indeque qui reliqui sint vv. 83—86 similium stropharum fragmenta esse veri est simile.

Multo autem magis perturbata est carm. V, 7 distributio versibus deperditis. nam translatis vv. 35—38 post v. 76 et vv. 51—54 post v. 22 lacunas invenisse videmur post v. 34 et 50. tamen harum rerum ratione habita probabiliter hanc partium seriem quamvis minus congruam statuemus:

2.|2×4|4×4.|3×4+x|x+3×4|x+2.6.6.2|2.5×4.2|2×4|2.

Elegantiorem autem et concinniorem partium responsionem prae se fert carm. V, 8, cuius vv. 19 sq. post v. 2 reduximus. atqui bipartita est tota elegia: praemissa vv. 1 sq. et 19 sq. argumenti pronuntiatione vv. 3—18; 21—26 Cynthiae ad draconem Lanuvinum iter describitur; vv. 27—88 quid absente amica poeta commiserit enarratur. atque posteriorem partem manifesto vv. 27 sq. praeparari, vv. 87 sq. absolvi nunc disertis verbis moneo propter eam emendationem quam illa horum versuum responsione confirmari supra contendi. cetera autem ut facile perspiciant lectores, hac tabula curabo:

4.|14.4.4.|2.|6.2.6.|4+2.2+4.|4+4.4+4.|2+4.4+2.|4|.2.

Denique carm. V, 11, cum aliis de causis imperfectum esse statuerimus, ne compositionem quidem certam ostendit. sed tamen si vv. 65 sq. post v. 60, vv. 97 sq. post v. 62 probabiliter inseruimus, certos versuum ordines sententiae vinculis arctissime coniunctos esse sentimus ad hunc modum:

2×4.2.4×4.2.2×4.5×6.8.8.4.2×6.4.

at in hac compositionis specie quae versuum numero paria sunt sententia semper discrepant. itaque hoc quoque non

perpoliti carminis documentum habemus. atque carm. V, 7, cum proxime ad hanc inconcinnitatem accedat, quanquam hoc utrum versibus deperditis deformatum an ab ipso poeta non satis diligenter conformatum sit dubium est, tamen non omnibus numeris absolutum esse concedere possum, quia in singulis etiam sententiis verbisque rudia quaedam et incondita nescio quo modo sentire mihi videor. sed ut incertum hoc est, ita ceteras elegias perfectas esse pro certo probari censeo exposita partium concinnitate qua etiamnunc, ex parte versibus deperditis laceratae, excellant.

Caput IV.

Quo tempore libri quinti carmina Propertius scripsisse videatur quaeritur.

Iam carminum nostrorum tempora definituris pauca praemittenda sunt et de annis quibus Propertius Cynthiae amore tenebatur, et de tempore quo quattuor libros priores in publicum emisit: quippe quibus de rebus neque inter se consentiant et quaedam etiam falsa disputaverint viri docti. atque priorem quaestionem incipere licet a carm. V, 1 vv. 129 sqq. haec autem de qua hic loquitur auctor agrorum adsignatio non nota illa a. $71^{3}/_{4}$ (40) est, sed a. 724 (30), quo post victoriam Actiacam Augustus veteranos donavit; ad hanc enim solam rationem cetera de Propertii vita testimonia accommodari possunt. itaque Propertium, cum non ita multo post togam virilem sumpserit (cfr. v. 131.), cuius rei legitimum fuisse constat annum aetatis sextum decimum, natum esse consequitur a. fere 708 (46.). quae quidem computatio, etiamsi iure negasset Hertzbergius ad h. v. *mox* particulam ad tempus spectare, tamen ab aliis testibus comprobaretur. congruit enim praeter ceteras ipsius Propertii de vita sua narrationes etiam Ovidius Trist. IV, 10 vv. 45 sq. et vv. 51 sqq. nam Propertium, qui Ovidio a. 711 (43) nato maior, sed Tibullo ut videtur circiter a. 700 (53) nato minor hic dicatur, fere a. 708 (46) natum esse consentaneum est. atque quo tempore togam virilem nactus sit, a. 724 (30) Lycinnae amore primo se flagrasse professus est poeta IV, 15, 3 sqq. iam vero cum Lycinna imbuisse tantum amore

rudes animos feratur, post breve tempus abdicata illa sine dubio Cynthiae amor coepit vel ipso a. 724 (30): quo solo iam per tres annos fere i. e. usque ad medium circiter a. 726 (28) ardere se dicit vv. 7 sq. nam statim post Lycinnae abdicationem cadere hos tres annos elucebit eis pertractatis quae praeterea de amore suo poeta refert. atqui quinque annos fideliter Cynthiae se serviisse narrat IV, 25 v. 2. hoc autem spatium quinquennale quem ad annum pertinuerit apparet e carm. III, 10. quod carmen ut veram sedem in libro quarto olim obtinuisse arbitramur*), ita cum Lachmanno (cfr. edit.

*) Nam Heimreichius quaest. Propert. pp. 22 sqq. carm. IV, 9 vv. 47—58, quos cum carm. III, 10 conjungendos esse intellexit, e libro quarto post carm. III, 10 v. 20 (nam carm. III, 10 vv. 21—26 ante v. 1 posuit) simulque reliquos carm. IV, 9 versus huc retraxit, sed probata secundi qui olim ferebatur libri divisione Lachmanniana carm. III, 10 vv. 21—26; 1—20; IV, 9 vv. 47—58 libri secundi epilogum, carm. IV, 9 vv. 1—46; 59 sq. libri tertii prologum esse voluit. nimirum Propertium discidio cum Cynthia facto promisisse Augusto se res ab ipso gestas omissa poesi amatoria celebraturum esse carmine epico, sed eundem, postquam cum amica in gratiam redierit, carmine ad Maecenatem scripto hoc munus detrectasse. at huic ratiocinationi Eschenburgius in lib. miscell. pp. 94 sqq. haec duo maxime argumenta iure suo opposuit. primum non a Maecenate veniam petendam fuisse poeta, sed ab ipso Augusto propter reiectum eius operis consilium quod ipsi principi promiserit. idemque merito miratur quod non propter Cynthiam recuperatam (id quod flagitat Heimreichii ratio) carmina amatoria se compositurum scribat poeta, sed quia ad elegias tantum faciendas aptus sit (cfr. IV, 9 vv. 43—46.). praeterea autem quo pacto factum est, ut ne coram Maecenate quidem epici carminis quod Augusto pollicitus erat ullam mentionem iniciat eiusque omissi veniam petat? nam epistula illa ad Maecenatem missa ita comparata est, ut is primus a Propertio epicum carmen petiisse videatur (cfr. IV, 9 vv. 1 sqq.; vv. 21 sqq.). sed ne Augusti quidem res ut laudaret, rogavit ille, si quidem e carm. IV, 9 vv. 37 sqq.:

non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec septem proelia clade pari,
nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arces
et Danaum decimo vere redisse rates,
moenia cum Graio Neptunia pressit aratro
victor Palladiae ligneus artis equos —;

Lipsiensis praef. pp. XXV sq.) scriptum esse censemus maxime propter vv. 7 sqq., postquam Propertius Cynthiam omnino

ex his igitur si coniecturam facere licet de illius quod optavit Maecenas carminis epici argumento. nam si Augusti laudes postulavit amicus, cur veteres istas fabulas potius quam has ipsas suis viribus maiores esse poeta confessus est, praesertim cum hanc causam argumentis probabilioribus et in Augusti honorem compositis exornare posset? atqui si antiquas fabulas poetae commendaverat Maecenas, ne posse quidem eum id agere carm. IV, 9 perspicuum est, ut propter abiectum de Augusto opus veniam impetret. quare cum inter carm. III, 10 et carm. IV, 9 ea non intercedat ratio quam voluit Heimreichius, nulla est causa cur carm. IV, 9 totum in librum tertium transponamus. ergone omnino veniam non petit Propertius, sed nullis prolatis causis tertium de amore suo librum condidit? at profecto ita neglegere Augustum nullo modo potuit. qua de causa carm. III, 10 neque librum secundum claudere neque tertium incipere potest. nam in tertio libro non solum multis elegiis Cynthiam celebrat, sed etiam carm. III, 34 totius libri epilogo amatoriam poesin unice commendat poeta, quam in carm. III, 10, si primum huius libri locum obtinet, tanquam prooemio omissurum se esse dixerat. a secundi autem fine vel ea de causa excluditur haec elegia, quod quas nunc se cantaturum pollicetur laudes Augusti, easdem in initio suo ingenio maiores esse fatetur carm. II, 1 vv. 41 sq.:

nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos. —

quibus versibus se Caesaris nomen laudibus cantatis avorum Troianorum qui factis praeclari sint turbae in aeternam memoriam interponere posse negat. quae cum ita sint, nil reliquom est, nisi ut carm. III, 10 in librum quartum transferatur. nam hoc cum carm. IV, 9 vv. 47—58 conectendum esse auctore Heimreichio etiam post Eschenburgium in lib. miscell. p. 95 adn. teneo. qui cum universam illorum versuum sententiam cum carm. III, 10 consilio pugnare contenderit, non satis animum attendit ad *vel* particulam v. 47. atque hac transpositione qua carm. III, 10 in librum quartum transmigrat probata facilius intellegitur quomodo carm. III, 11, quod ad secundum librum pertinere vidit Heimreichius quaest. Propert. p. 26, ab illo separatum sit intruso e libro quarto carm. III, 10. quam difficultatem Heimreichius sua ratione commendata machinis artificiosioribus removere conatur. liber igitur secundus finitur carm. III, 11, tertius incipit carm. III, 12. nimirum Propertius, postquam cum Cynthia in gratiam rediit (II, 3.), post varias pugnas (II, 5; 6.) pace iterum facta (II, 7) postremo tamen perfidiam amicae tantam esse perspicit (II, 8; 9.) ut relictam nunquam carminibus

abdicaverit. namque et ipsum carmen illa transpositione facta cum eis elegiis quae de expulsa Cynthia scriptae sunt (cfr. IV, 24 et 25.) uno eodemque libro comprehenditur et Hertzbergio I pp. 217 sq. qui illud propter v. 16:

et domus intactae te tremit Arabiae

discidio orto compositum esse a. 729 (25) voluit, satis iam respondit Eschenburgius in lib. miscell. pp. 94 sq. nos unum addimus: neque enim verisimile est Propertium illo carmine (cfr. III, 10 v. 15.) adlocutum esse absentem Augustum, qui tamen a. 729 (25) pugnabat adversus Cantabros; unde a. 730 (24) demum, ut Dio l. LIII, 28 commemorat, Romam rediit. itaque Eschenburgius l. l. p. 95 ipse carm. III, 10 fine a. 731 (23) aut initio a. 732 (22) scriptum esse suspicatur; quod tempus indicari putat vv. 13 sqq. de expeditione Parthica scriptis. sed nescio an longius etiam progrediendum sit usque ad a. 732 (22) finem. nam Dio l. LIV, 6 ἐν ᾧ δὲ ταῦτα inquit ἐγίγνετο (i. e. dum Gaius Petronius in Aethiopiam expeditionem facit, de qua cfr. Mommsenus in reb. gest. divi Augusti pp. 73 sqq. et Peterus hist. Rom. III p. 27), ὁ Ἄυγουστος ἐς Σικελίαν ἦλθεν, ὅπως καὶ ἐκείνην καὶ τἆλλα τὰ μέχρι τῆς Συρίας καταστήσηται; inde autem per Graeciam in Syriam profectum illum a Parthis signa Crassiana recepisse a. 734 (20) idem Dio l. LIV, 8 scribit. ergo antequam in Siciliam profectus est Augustus Asiaticam quoque expeditionem paraturus, non potuit scribere Propertius in carm. III, 10 Parthos metu perculsos esse. atqui illuc non potest abiisse Caesar

---

se ornaturum esse minetur (III, 11.). sed haud ita multo post redintegrata amicae memoria carm. III, 12, quo Amorem de pectore suo nusquam evolare miratur, prooemiatur quodammodo sequentibus de Cynthia elegiis. sed iustum secundi libri epilogum, tertii prologum desideras; quos tamen deesse mirum non est, si hi libri una editi sunt. qua de re mox plura proferemus. ceterum carm. III, 10, iam ei libro insertum quo Cynthiam abdicavit poeta (cfr. IV, 24 et 25.), non est cur scriptum esse opinemur cum Heimreichio quaest. Propert. p. 39 per discidium aliquod, cuius aliud in elegiis Propertianis vestigium non adesse videbimus.

nisi a. 732 (22) exeunte propter diversas res quas eum antea Romae eodem anno administrasse Dio l. LIV, 1 sqq. auctor est. neque cum hoc tempore pugnat quod Indiam Augusti triumpho colla dare Propertius gloriatur. namque a. 734 (20) Indos legatis Samum missis Augusto amicitiam eamque antea nuntiatam obtulisse refert Dio l. LIV, 9. neque vero hanc amicitiam quae illo demum anno rata facta sit credibile est iam olim pronuntiatam esse ab eis legatis quos a. 728 (26) vel a. 729 (25) Tarraconem ad Augustum ab Indis missos esse narrat Orosius VI, 21. sed multo magis consentaneum est, ubi Caesarem in Siciliam et Graeciam profectum expeditionem orientalem apparare acceperint a. 732 (22), missos esse ab Indis nuntios ad amicitiam promittendam. neque tamen trans huius anni fines regredi possumus, quoniam Caesarem etiamtum Romae fuisse censemus, ubi ad eum miserit Propertius carm. III, 10. hoc igitur, quod expulsam ostendit Cynthiam, cum a. 732 (22) exeunte scriptum sit, hinc demendi sunt quinque anni, per quos duravit constans et certus Cynthiae amor. quo facto eum exeunte a. 727 (27) incepisse invenimus; cfr. Eschenburgius l. l. p. 93 et p. 97. sed per unum annum discidio orto a Cynthia contemptum se esse scribit Propertius IV, 16 v. 9. qui annus, quoniam *fideliter* se quinque annos amicae serviisse immerito pronuntiaret poeta IV, 25 v. 2, si per unum eorum annorum propter peccatum nescio quod expulsus fuisset, Lachmanno edit. Lipsiensis praef. pp. XXIII et XXVI iure videtur incidere ante spatium illud quinquennale. an post hoc eum statues interpretes antiquos secutus, ubi poeta ipse potius Cynthiam in perpetuum excussit, quam ab illa in annum expulsus est? discidium igitur illud a. 726 (28) exeuntem et a. 727 (27) ineuntem comprehendit: ad medium autem a. 726 (28), quo factum est discidium, amoris tres primos annos qui post contemptam Lycinnam initium ceperint pertinere supra coniecimus, quod nostro iure ita suspicati sumus: neque enim post peccatum illud quo discidium ortum est poeta ausus esset scribere ad Cynthiam, ut non fugit Lachmannum l. l. praef. p. XXVI, carm. IV. 15 vv. 7 sqq.:

tertius haud multo minus est cum ducitur annus:
vix memini nobis verba coisse decem.
cuncta tuus sepelivit amor nec femina post te
ulla dedit collo dulcia vincla meo.

His pertractatis iam licet transgredi ad alterum locum qui erat de singulorum librorum et conscriptorum et editorum tempore. atque e primo libro carmen primum per discidium quod saepius memoravimus compositum esse perspexit Lachmannus l. l. praef. pp. XXIII sq. neque sine probabilitate ad idem tempus rettulit eiusdem libri carmina 12, 13, 16, 17 Eschenburgius l. l. pp. 92 sq. adn. idemque quamvis incerta coniectura carm. I, 6 a. 724 (30) adscripsit. editus autem est totus liber uno mense antequam secundus scribi coeptus est, propter II, 2 vv. 1, 2 collatos cum II, 3 vv. 1—4; cfr. Lachmannus l. l. praef. pp. XXIV sq. et XXVII. secundi autem libri compositio initium cepit propter carm. II, 7, quod amicitiam redintegratam aperte prae se fert, post discidium illud, de quo locuti sumus, itaque a. 727 (29) medio. quacum ratione congruit quod Eschenburgius l. l. pp. 91 sq. alia ratiocinatione quamvis non tam firma carm. II, 7 eodem tempore conscriptum esse invenit. ergo liber primus medio fere a. 727 (27) in publicum emissus est. sed secundum librum una cum tertio publici iuris factum esse accurata interpretatione e carm. III, 24 vv. 1, 2 Lachmannus l. l. praef. p. XXVII elicuit. atque haec quidem eo firmatur sententia quod carm. III, 31 sine dubio non ita multo post Apollinis in Palatino templum cum porticibus dedicatum mense Octobri a. 726 (28) conditum est; in idem igitur tempus referri potest quo libri secundi carmina prima scripta esse modo significavimus. sed secundum tertiumque librum una coniunctos etiam cum quarto publico usui propositos esse a poeta a. 732 (22) fere frustra suspicati sunt propterea quod, ut carm. IV, 24 et 25, ita etiam carm. III, 10 Cynthiam prorsus abdicatam ostenderet. haec argumentatio nunc reiecto necessario in librum quartum carm. III, 10 nullo fundamento innititur neque eo stabilitur quod Eschenburgius l. l. p. 96 carm. IV, 20b Cynthia

recuperata i. e. eodem fere quo carm. II, 7 tempore confectum esse coniecit, argumentis ille usus, ut infra exponemus, parum probabilibus. verum aliud etiam obstat. nam illud ut praetermittam quod liber quartus suum prologum habet: qui carm. III, 13b vv. 25 sq.:

sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli,
quos ego Persephonae maxima dona feram,

quos versus ad poetae ipsius libros spectare evicit Lachmannus l. l. praef. pp. XXI sq., scribere vel tertio libro inserere potuit poeta, si post primum tres sequentes libros coniunctos edidit itaque iam non tres, sed quattuor libros se confecisse lectoribus monstravit? ergo primo libro antea edito coniunctos secundum tertiumque, postea quartum separatum addidit. atque illos quidem a. 729 (25) fere editos esse demonstrat carm. III, 34 quod epilogi eorum munere fungitur. nam Cornelius Gallus poeta, quem nuper mortem sibi conscivisse significant vv. 91 sq., e vita decessit a. 728 (26), ut Dio l. LIII, 23 auctor est. atque ad idem fere tempus revocari possunt eiusdem elegiae vv. 61—79. quos Propertius, cum lectis scilicet aliquot imperfecti operis libris iudicium ferat de Vergilii Aeneide, certe ante a. 729 (25) scripsisse nequit, quoniam Aeneidis incohatae a. 725 (29) particulas aliquot a. 731 (23) demum Caesari quamvis instanti Vergilius recitavit; cfr. Ribbeckii proll. Verg. p. 60. quartus denique liber exiguo post librum secundum tertiumque emissum spatio interiecto componi coeptus videtur. nam a. 731 (23) confectum est carm. IV, 18 non multo ut videtur post Marcelli, Octaviae filii, subitam mortem, de qua auctor est Dio l. LIII, 30. editum autem esse hunc librum brevi post a. 732 (22) exeuntem tempore intermisso demonstratur, ut saepius iam memoravimus, carmine quod olim erat III, 10 collato cum carm. IV, 24 et 25. atque intra eosdem fines continentur etiam carm. IV, 4; 5; 12 quae ad Parthicam expeditionem hoc tempore paratam pertinent. sed excedunt eos carm. IV, 15 et 20b et ni fallor etiam 20. nam carm. 15 ante annuum illud discidium quod saepe tractavimus confectum esse iam monuimus. tum ne

carm. 20b quidem eo tempore quo cetera libri quarti carmina scriptum esse perspexit Eschenburgius l. l. pp. 93 et 96. sed eundem hanc elegiam non multo post Cynthiae reconciliatio nem compositam esse suspicatum redarguunt vv. 15 sq. et vv. 24 sq. quo enim pacto amica reconciliata tantum amorem et torum *novum* poeta dicere potuit? quo pacto uno iam discidio facto, ut *prima* omina fidem continerent, rogare potuit? ergo hoc carmen ego quidem in id tempus retraxerim, ubi Cynthia prima consuetudine contracta poetae *primam noctem* (cfr. v. 11.) concessit. neque vero illud ideo librum secundum tertium quartum eodem tempore emissos esse demonstrare potest: immo vel ante secundi tempus confectum est. eodem autem tempore conscriptum esse videtur carm. 20 quo ni fallor Cynthiam a vetere amico in Africam profecto desertam sibi conciliare studet Propertius. nam de Cynthia verba fieri docet *doctus avus* v. 8 collatis carm. III, 13 vv. 9—12. atque hoc carmen post discidium scriptum vix dici potest, quia nullum adest redintegrati amoris signum. tria igitur haec carmina contra temporis ordinem in libro quarto collocata esse manifestum est, quia poeta primas elegias Cynthiae inscriptas, quas olim librum primum editurus retinuerat, nunc abdicata omnino amica ultimis ad illam missis (carm. IV, 24 et 25) opponere voluit, simul omnia quaecunque de illa scripserat comprehensurus. an ut temporis ordinem non neglexisse eum probes, quattuor libros omnes una editos esse conicies? id quod refutari firmissimis argumentis vidimus. namque quominus ab amicis librum quartum post Propertii mortem editum et ab eis omnia quae in scriniis eius invenerint carmina evulgata esse spreto temporis ordine statuamus, praeter alias causas vel prologus impedit quo huic libro prooemiatur poeta. ergo librum quartum non multo post a. 732 (22) separatim emissum esse tenemus. itaque ut quae invenisse nobis videamur breviter comprehendamus: Propertius

a. 708 (46) fere natus est;

a. 724 (30) toga virili sumpta cum Lycinna, postea cum Cynthia primam amoris consuetudinem contraxit;

a. 724 (30) usque ad medium a. 726 (28) Cynthiae amore tenebatur;
a. 726 (28) usque ad a. 727 (27) medium a Cynthia pulsus erat;
a. 727 (27) medio lib. I edidit prioribus annis scriptum simulque lib. II et III recuperata Cynthiae gratia scribere coepit;
a. 729 (25) lib. II et III edidit;
a. 730 (24) lib. IV componere coepit;
a. 732 (22) exeunte vel paulo post Cynthia excussa lib. IV edidit.

His iactis fundamentis iam eam quae reliqua est disquisitionem superstruere possumus de tempore quo libri quinti singula carmina scripta sint. ac primum quidem carm. V, 11 quin a. 738 (16) scriptum sit, dubium esse vix potest; cfr. Hertzbergius I p. 30 et p. 228. verum etiam haud ita multo post, fere a. 740 (14), e vita discessisse poetam idem carmen ostendit, quippe quod sit imperfectum; neque quae illum annum egrediantur, ulla inveniuntur carmina Propertiana. an subito obmutuisse vatem adulescentem probabilius est? — iam vero de carm. V, 1a, 1b, 2, 4, 9, 10 tempore virorum doctorum adeo inter se differunt sententiae, ut Hertzbergio I p. 17 adn. et p. 223 ante Cynthiae amorem, Eschenburgio l. l. pp. 83 sqq. post Cynthiam abdicatam scripta esse videantur. atqui carm. V, 1a post a. 726 (28) mensem Octobrem compositum esse demonstrat templi Apollinis Palatini mentio facta v. 3. qua quidem re, cum Cynthiam iam ante hoc tempus sat multis elegiis laudatam videamus, Hertzbergii sententiam explosit Eschenburgius. quid? quod Horos V, 1 vv. 135 sqq. quamvis suo more, sed si recte intellegitur certo testimonio Propertium, ubi primum misso causidici munere carmina facere coeperit, elegias amatorias, non periegesin condidisse refert. neque vero per annuum illud discidium hoc poematum genus tractavit, quoniam ne hoc quidem tempore Cynthiae amorem cantare (cfr. carm. I, 1) desiit, sed ipsum primum de eo librum edidit. atqui dum Cynthiam

amet post a. 726 (28), hanc periegesin incohatam esse a Propertio Eschenburgius l. l. pp. 97 sq. firmis argumentis negat. itaque ipse prorsus excussa Cynthia a. 732 (22) haec carmina scribi coepta esse contendit. quam sententiam ut ferret, adductus est etiam metricis in eis elegantiis quas explicari non posse censet, nisi confecta sint post ceteros libros, qui quidem hac re minus praestent. quanquam harum observationum exiguum pondus esse concedet propter tantum inter eorum versuum, quos inter se contulit, numeros discrimen. sed Eschenburgii rationem nos, ni fallor, et confirmare et accuratius etiam ita definire possumus, ut quo fere post a. 732 (22.) anno haec carmina composita sint appareat. idque assequimur duobus argumentis. quorum prius inde deductum est, quod ea quae habemus carmina frustula tantum sunt operis non perfecti. quod tamen cum post Cynthiae abdicationem incohatum esse constet, ne absolveret eius amore non abstinebatur poeta. itaque cum ne aliam quidem cunctandi causam inveniamus, quid tandem veri similius est, quam Propertium morte impeditum esse, quominus illud non ita multo ante incohatum ad finem perduceret? ergo haud ita multo ante a. 740 (14) haec periegeseos fragmenta scripta esse videntur. atque haec quidem computatio illustrabitur etiam altero argumento. id autem ut persequamur, age nunc transeamus ad carm. V, 6. quod Hertzbergius I p. 228 a. 738 (16) adsignavit, spectare illud ratus ad ludos quinquennales propter Actiacam victoriam illo anno celebratos; eodemque tempore Sycambros devictos esse (cfr. v. 77) putavit. at, ut quae alia supra de hac sententia animadverti nunc praetermittam, Sycambri superati nondum dici poterant, si eo tempore quod Hertzbergius statuit hoc carmen scriptum est. id enim apparet his Dionis locis inter se comparatis. is l. LIV, 19 haec scripsit: *καὶ μετὰ ταῦτα ἐς τὴν Γαλατίαν Λουκίου τε Δομιτίου καὶ Πουπλίου Σκιπίωνος ὑπατευόντων* (i. e. a. 738 = 16) *ὥρμησε* (*ὁ Αὔγουστος*) *πρόφασιν τοὺς πολέμους τοὺς κατ᾽ ἐκεῖνο κινηθέντας λαβών.* tum non nullis interiectis ad eandem rem reversus l. LIV, 20 Sycambros narrat cum Usipetis et Tenchteris Rhe-

num transgressos devastata Gallia equitatum Romanorum Lolliumque praefectum a. 738 (16) superasse, sed de ipsius Augusti adventu certiores factos detrectato proelio in deditionem venisse. denique addit l. LIV, 21 haec: *τῶν μὲν οὖν ὅπλων οὐδὲν διὰ ταῦτα ὁ Ἄυγουστος ἐδεήθη, τὰ δὲ δὴ ἄλλα καθιστάμενος τοῦτόν τε τὸν ἐνιαυτὸν κατανάλωσε καὶ τὸν ὕστερον, ἐν ᾧ Μάρκος τε Λίβων καὶ Καλπούρνιος Πίσων ὑπάτευσαν* (i. e. a. 739 = 15.). quibus efficitur Sycambros ipso a. 738 (16) fine domitos esse. antea autem ludos quinquennales celebratos esse, quod non fugit Frankium in fast. Horat. pp. 207 sq., eiusdem Dionis accurata interpretatione probari potest. namque postquam l. LIV, 19 Augustum in Galliam profectum esse dixit, paulo post: *πρὶν δὲ ἢ ἀφορμᾶσθαι* inquit *τὸν τοῦ Κυιρίνου ναὸν καθιέρωσεν ἐκ καινῆς οἰκοδομήσας* etc.; deinde ita pergit: *καὶ οὕτω τὸ μὲν ἄστυ τῷ Ταύρῳ μετὰ τῆς ἄλλης Ἰταλίας διοικεῖν ἐπιτρέψας — — τὸν δὲ δὴ Τιβέριον καίτοι στρατηγοῦντα παραλαβὼν ἐξώρμησεν. — — ἐξελθόντων δ' οὖν αὐτῶν τὸ τῆς νεότητος μέγαρον ὑπὸ τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα κατεκαύθη καὶ διά τε τοῦτο καὶ διὰ τἆλλα προγενόμενα — — εὐχὰς ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου τοῦ Ἀυγούστου ἐποιήσαντο. κἀν τούτῳ καὶ τὴν πενταετηρίδα τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ διεώρτασαν τοῦ Ἀγρίππου — — διὰ τῶν συνιέρεων ἀναλώσαντος.* hoc igitur loco demonstratur eodem tempore (*κἀν τούτῳ* ut l. LIV, 5; 8; 28 init.) quo propter prodigia in ipso exitu principis facta pro reditu eius vota suscepta sunt, ludos illos quinquennales habitos esse. at aliquanto post exitum Augusti temporis spatio interiecto Sycambros pacem et foedus petiisse prorsus certum est, quoniam id eos tum fecisse Dio l. LIV, 20 testatur, cum Augustum in Galliam venisse adversus ipsos expeditionem facturum acceperint. ergo huius rei mentio fieri plane non potest iu hoc carmine quo ludos illos pronuntiari censent. namque haec elegia ad hos ludos indicendos composita non potest non paulo etiam ante ipsos confecta esse. sed hanc ut effugeret difficultatem, posset quis conicere eosdem ludos etiam post a. 738 (16) celebratos tangi, nisi carm. V, 11 eodem fere tempore huius libri

auctorem e vita discessisse probaret. neque tamen hoc carmen adsignare liceret a. 742 (12), quo quidem etiam ludi illi facti sunt: cfr. Mommsenus in reb. gest. divi Augusti pp. 25 sq. nam eodem anno Sycambri rebellarunt: cfr. Dio l. LIV, 32 et Mommsenus l. l. p. 92. quos cum demum a. 746 (8) victos esse Dio l. LV, 6 testetur, post hunc annum regrediendum esset. at inter a. 738 (16) et a. 746 (8) num nihil scripsisse poetam credes? nulla enim ex his annis carmina habemus*). quae cum ita sint, propter Sycambros devictos, quorum mentione certum temporis signum continetur, nostrum carmen ineunte fere a. 739 (15) post ludos quinquennales celebratos conditum esse videtur. qua ratione probata Apollinis Palatini laus eiusdemque templi mentio sine iusto consilio illata est: harum enim rerum certa quaedem necessitudo cum ludorum tantum pronuntiatione est. ergo praeter ceteras causas quas supra exposuimus etiam propter hanc difficultatem vv. 11—68 ad periegesin revocandi sunt; ceteris autem profitetur poeta omissis bellis hilariora argumenta se esse tractaturum. iam vero utriusque carminis tempus facile definiri potest: nam carm. V, 6a Sycambri devicti post a. 738 (16) exeuntem revocant. atque carm. V, 6b vel Apollinis templo Palatino v. 11 commemorato, ut cetera eiusdem generis carmina, post a. 726 (28) scriptum esse demonstratur. iam vero etiam post a. 732 (22) haec carmina retrahenda esse aliis etiam argumentis adhibitis supra docuimus. nunc, ut tandem alterum quod promisimus argumentum comprehendamus, haud ita multo ante poetae mortem, quae fere in a. 740 (14) incidit, ea condita esse hac quoque re confirmatur. namque carmen de bellis ab Augusto gestis epicum fere a. 732 (22) incohatum

*) Neque vero Heimreichii opinio probabilis est, qui in symb. ph. B. p. 676 propter Gai Caesaris in Orientem expeditionem vv. 81 sq. tangi visam post a. 753 (1) hoc carmen scriptum esse sibi persuasit. nam cum Gai Caesaris ipsius mentio nulla habita sit, talem qualem hi versus continent sententiam etiam antea proferre licuit, si quidem Augusto liberi vivebant. Gaius autem a. 734 (20) natus dicitur a Dione l. LIV, 8.

esse a poeta supra diximus propter carm. III, 10. id autem non absolutum ab eodem abiectum esse paulo ante a. 738 (16) finem, postquam per aliquantum temporis spatium ei operam dederit, supra etiam animadvertimus carm. V, 6a fere illo tempore conditi v. 69, quo *bella satis* inquit *cecini,* collato cum vv. 77 sqq. itaque inter a. 732 (22) exeuntem et a. 738 (16) exeuntem bellis canendis occupatus erat poeta neque facile hoc argumentum reliquisse censendus est propter Augusti frigus et iram. ergo ante a. 739 (15) ineuntem vix periegeseos urbis Romae conficiendae consilium cepit. quibus de causis carm. V, 1a; 1b; 2; 4; 6b; 9; 10 inter a. 739 (15) et a. 740 (14) scripta esse videntur.

Hinc revertimur ad carm. V, 1c, cuius tempus facillime definitur. nam id cum eo tempore quo Propertius primum Cynthiam adamaret ab amico aliquo ad eum scriptum esse supra viderimus, propter ipsam hanc rem incidit in a. 724 (30).

Nunc igitur transgredimur ad carm. V, 3. de cuius tempore quaedam monuit Merkelius ad Ovid. fast. p. CCLIII. sed tamen quod *Noricum hostem* v. 8 propter Tiberii expeditionem a. 739 (15) factam commemoratum esse putat, nil hoc ad nos attinet, qui *Neuricus* potius scribendum (cfr. Hertzbergius ad h. l.) aut certe scripturam incertam esse censemus. neque iam *iteratos Bactra per ortus*, quae interpolatori deberi scimus, ad expeditiones a. 734 (20) et a. 740 (14) respicere concedemus. Hertzbergius autem I p. 228 carmen nostrum in a. 734 (20) incidere statuit. attamen quartum militiae adversus Parthos annum significari v. 18:

texitur haec castris quarta lacerna tuis

tam certum non est. quidni enim, cum complures expeditiones Lycotas fecerit (cfr. vv. 7 sqq.), quartam eius expeditionem potius intellegamus, singulis singulas lacernas tribuentes? praeterea tam gravia qualia vv. 65 sqq. indicantur proelia cum Parthis hoc bello non committenda esse, ipso a. 734 (20), quo sine ullo labore signa Crassiana ab eis Augustus recepit, haud dubie audiverat Arethusa. itaque haec non potest non scripsisse ante hunc annum aliquo tempore quo vehementissimum

cum Parthis bellum instare videbatur. quod cum ita sit, ego quidem hanc epistulam fere a. 733 (21) ad Lycotam datam esse crediderim; hoc enim tempore ille Augustum comitatus, qui a. 732 (22) Romam reliquerat, in Syriam advenisse et expeditionem Parthicam apparasse potest. neque huic sententiae obstare videntur vv. 23 sqq., at favere etiam vv. 35 sqq.

Iam vero multo incertius est tempus quo carm. V, 5 conditum sit. namque si non de Cynthia, sed de alia puella scriptum est, incidit in a. 726 (28) finem aut a. 727 (27) initium aut post a. 732 (22), quibus temporibus ab illius amore poeta vacabat. sin ad Cynthiam potius spectat haec elegia, aut inter a. 724 (30) et a. 726 (28) aut inter a. 727 (27) exeuntem et a. 732 (22) exeuntem scripta est: nam his annis huius amore tenebatur. atque is cui haec sententia probabilior videtur potest cum aliqua veritatis specie suspicari eo tempore, quo praetoris illius divitis pecunia (cfr. carm. I, 8; 8b; III, 16.) Cynthia paulum a Propertio abalienata sit, potissimum hoc carmen compositum esse. sed quis dubia haec omnia esse negabit?

Certum autem de carm. V, 7 tempore iudicium ferre licet. hoc enim ut in Cynthiae honorem scriberet, poetam veteris, sed iam abdicatae amicae morte motum esse supra diximus. eundem tamen obitu eius ita affectum fuisse vix credibile est, ubi iam olim eius amorem ex animo expulerit. nam nova amica inventa plerumque veteris memoria evanuit. itaque Cynthia non multo post a. 732 (22) exeuntem quo pulsa est diem supremum obiisse videtur. brevi autem tempore praeterlapso, a. 733 (21) fere, scripta est ea elegia, de qua loquimur.

Restat unum carm. V, 8; quod Hertzbergius I p. 229 tantum monet ante a. 732 (22) confectum esse. sed ad tempus accuratius definiendum duplicem illud praebet ansam. primum enim cadit in tempus aliquod quo Propertius Cynthiae amicus fuit. qui si tum, ubi hanc elegiam confecit, non fuisset, vv. 27 sq.:

cum fieret nostro totiens iniuria lecto,
mutato volui castra movere toro

de se ipse non scripsisset. neque a Cynthia in peccato deprehensus tanto metu percussus esset, qualem vv. 50 sqq. describit. neque vero Cynthiam v. 15 suam appellasset aut v. 48 animum suum a scortillis istis ad Lanuvii portas evagatum esse confessus esset. denique ne Cynthia quidem poetae irata esset. itaque aut inter a. 724 (20) et a. 726 (28) finem aut inter a. 727 (27) finem et a. 732 (22) finem haec elegia scripta est. utrum autem eorum temporum spatium praeferendum sit ostendit Esquiliarum a Maecenate cultarum mentio facta vv. 1 sq. atqui horti Esquilini exaedificari a Maecenate coepti sunt ante a. 719 (35). hoc enim anno vel paulo post prior sermonum Horatianorum liber, in quo illos memorat auctor I, 8, 14 sqq. editus est: cfr. Frankius in fast Horat. pp. 21 sqq.; 103 sqq. perfectam autem fuisse hortorum illorum adornationem fere a. 723 (31) docet Horatius serm. II, 6, 30 sqq.: quem locum illo anno scriptum esse demonstrat Frankius l. l. pp. 119 sqq. nam habitasse iam Maecenatem Esquiliarum aedes et hortos his versibus significat Horatius. nostram igitur elegiam neque ante a. 723 (31), quoniam novos agros ab hominum turba occupatos et ipse narrat v. 2 et vv. 59 sq., neque multo post a. 723 (31) scripsit Propertius, quia de *novis* etiamtum agris loquitur et Esquilias adeo *aquosas* vocat: quam veram ipsarum naturam sine dubio mutassent, si iam per longius tempus exculti essent. ergo potius prius temporis spatium, quod ab a. 724 (30) usque ad a. 726 (28) finem pertinebat, huic elegiae eligemus. atque accuratius etiam, si coniecturis probabilibus ut in re incerta indulgere licet, ipse compositionis annus circumscribi potest. nam cum v. 27 illatam totiens lecto suo a Cynthia iniuriam et v. 88 notum eiusdem torum dicat, Propertius Cynthiae amore non solum satis longum tempus usus, verum etiam perfidiam multis exemplis expertus videtur. itaque hoc carmen, quod sane haud ita multo post a. 723 (31) confectum est, tamen vix ipsi a. 724 (30) attribui potest, quo Cynthiae amor modo coepit,

sed ad posteriorem aliquem retrahendum est, qui tamen a. 726 (28) fines excedere non debet. ergo fere a. 725 (29) hanc elegiam a Propertio conditam esse veri est simile.

Quae cum ita sint, haec invenisse videmur. Propertius

a. 724 (30) accepit ab amico aliquo carm. V, 1c.
a. 725 (29) fere ipse scripsit carm. V, 8.
a. 733 (21) „ „ „ carm. V, 3; 7.
post a. 738 (16) finem fere ipse scripsit carm. V, 6a: 11.
post a. 739 (15) initium „ „ „ carm. V, 1a; 1b; 2; 4; 6b; 9; 10.
a. 740 (14) fere mortuus est.

Itaque omnia haec carmina quae libro quinto comprehenduntur non potuit libro quarto inserere, quem a. 732 (22) edidit, praeter unum carm. V, 8. hoc autem viva etiamtum Cynthia retinuit, quia hac elegia eius mores minus honesti quam ceteris priorum librorum carminibus depinguntur; neque suam ipsius in hac elegia conditionem nescio quo pacto ridiculam palam ostendere voluit. atque carm. V, 1c, quod ne a Propertio quidem profectum est, in horum carminum ordinem illapsum est, quia hic liber post poetae mortem sine dubio ab amicis emissus est. an Propertium ipsum imperfectae periegeseos fragmenta aut non perpolitum carm. V, 11 edidisse credibilius est?

Caput V.

Quis libri quinti Propertiani sit auctor quaeritur.

Restat ut diiudicemus libri quinti carmina omnia a Propertio certe non, fortasse a Passenno Paullo, Plinii minoris aequali, conscripta esse utrum certis argumentis demonstraverit an temere coniecerit Heimreichius in symb. ph. B. pp. 674 — 679. cuius quidem ratiocinatio Hauptium non adduxit, ut in novissima sua editione haec Propertii non esse aliquo modo significaret.

Et per se minime probabile est ab interpolatore quodam, si quidem ille ut falleret lectores egisse putandus sit, Propertio has elegias suppositas esse. nam qui poterat ille lectoribus se impositurum esse sperare confectis maxime elegiis topographicis et antiquariis vel epistula poetica, quibus nunquam verum Propertium operam dedisse sat multi scivisse censendi sunt? tutius erat interpolatori elegiis amatoriis, quibus notus erat verus Propertius, Cynthiam cantare. praeterea num tam impudentem fuisse illum credes, ut opera non absoluta velut periegeseos illa fragmenta et carm. V, 11 emittere auderet? an impostor nimis callidus haec in poetae scriniis imperfecta sese invenisse enuntiavit? utcunque hanc difficultatem effugere studes, aliae coniecturae aliis eisque nullo fundamento innisis cumulandae tibi sunt. namque Passennus Paullus, qui ut *municeps* et *so-*

boles Propertii talia vel primus fingere poterat, certe non est auctor horum carminum, si quidem a Propertio aliena sunt. nam cum in eis vocalis *o* finalis nisi in vocabulis iambicis velut *modo* nunquam correpta sit, sed semper producta (cfr. velut V, 3, 35; 57; 71; 5, 53; 6, 14; 7, 53; 81; 8, 17; 23; 49; 9, 35; 10, 3; 11, 27; 73.) praeter V, 5, 75 ubi tamen facillime pro *caedito* scribitur *caedite*, non possunt illa post Claudii Neronisque tempus composita esse; quo tempore correptae illius vocalis licentiam auctam esse docet Lucianus Muellerus de re metr. p. 42 et p. 339. an etiam in hac metrica observantia Propertium a Paullo summa cum diligentia expressum esse credes? quid? quod ne eiusmodi quidem carmina qualia maxima ex parte liber quintus continet, sed elegos illum scripsisse Plinius duobus locis (epist. VI, 15; IX, 12) testatur. ergo si revera non sunt Propertii, carmina nostra certe neque a Plinii aequali Paullo, sed haud ita multo post Propertium scripta neque eius carminibus malo consilio ab aliquo interpolatore interposita, sed casu aliquo adnexa sunt. quae tamen sententia ideo probabilis non est, quod Cynthia in aliquot carminibus commemorata haec, si a Propertio profecta non sunt, ad eius exemplum interpolata esse evincit.

Praeterea, id quod gravissimum est, ne ad hanc quidem suspicionem sustentandam sufficiunt quae in illis notavit Heimreichius. et primum quidem imitationum a vero sane Propertio alienarum multitudinem, quam indagasse sibi visus est, ego quidem nullam esse puto. neque enim, ut supra iam monuimus, V, 1 vv. 127 sqq. e Propert. I, 22, 7 aut V, 1 vv. 133 sqq. e Propert. IV, 3 aut V, 2 vv. 1 sqq. ex Ovid. fast. I, 63 sqq. expressi sunt. praeterea et noster poeta V, 6b et Vergilius Aen. VIII, 675 sqq. in pugna Actiaca describenda versatur. hinc autem rerum, ut par est vel propterea quod de proelio Actiaco mox certae sine dubio ferebantur narrationes, exigua quaedam est similitudo; at plane nulla est singulorum verborum congruentia. nam, ut singula videamus quae comparavit Heimreichius, Propertius V, 6, 29 sq.:

adstitit Augusti puppim super et nova flamma
luxit in obliquam ter sinuata facem

de Apolline, at Vergilius Aen. VIII, 680 sq.:

stans celsa in puppi; geminas cui tempora flammas
laeta vomunt patriumque aperitur vertice sidus

de Augusto (cfr. v. 678) loquitur; deinde ille flammas per portentum visas in Apollinis capite, hic cassidis insigne ut Agrippae vv. 682 sqq.:

parte alia ventis et dis Agrippa secundis
arduos agmen agens: cui (belli insigne superbum)
tempora navali fulgent rostrata corona,

ita etiam Augusti commemorat. denique et Propertius vv. 49 sqq. et Vergilius Aen. X, 195 Centauros saxa minantes, quale sat multas naves insigne habuisse credere licet, e rerum veritate sumpsisse videntur. sed si quidem revera noster auctor imitatus est Vergilium, cur perturbato id animo eum fecisse dicit Heimreichius, cum *Centaurica saxa* non immania, sed quae Centauri insigne iaculari videatur, dici manifestum sit propter id quod sequitur *pictos metus?* postremo ne vv. 81 sqq. quidem:

sive aliquid pharetris Augustus parcet eois,
differat in pueros ista tropaea suos.
gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:
ire per Euphraten ad tua busta licet

expressos esse concedi potest ex Ovid. art. amat. I, 177 sqq.:

ecce, parat Caesar domito quod defuit orbi,
addere. nunc, oriens ultime, noster eris.
Parthe, dabis poenas. Crassi gaudete sepulti
signaque barbaricas non bene passa manus.
ultor adest primisque ducem profitetur in annis,
bellaque non puero tractat agenda puer.

nam verborum non maior est similitudo quam quae necessario evenit, si duo auctores de Crassi clade verba faciunt; sententia

autem ipsa etiam dissimilis est propter diversam nominis *puer* apud Propertium et Ovidium significationem. neque vero hos versus ad a. 754 (1) spectare supra iam animadvertimus. praeterea non contra artis normam, ut Heimreichio visus est, V, 6, 83 in casu obliquo *niger* vocabuli primam syllabam corripuit poeta. accedit quod vocabulum fortasse corruptum in documentum adhibere non decet. neque enim satis facile explicari hoc posse etiam Hertzbergii ad h. l. adnotatio ostendit. an *nigrae* arenae dicuntur propter cladem ibi acceptam? deinde carmina, quibus urbis Romae periegesin conficere coeperit Propertius, iniuria Heimreichius contendit non novisse Ovidium qui in fast. II vv. 3 sqq. haec scripserit:

nunc primum velis, elegi, maioribus itis:
exiguum, memini, nuper eratis opus.
ipse ego vos habui faciles in amore ministros,
cum lusit numeris prima iuventa suis.
idem sacra cano signataque tempora fastis:
ecquis ad haec illinc crederet esse viam?

quibus versibus Ovidius comparatis aliorum ante se ipsum poetarum carminibus cum fastorum magnitudine elegos nuper exiguum opus fuisse ni fallor Heimreichio profiteri videtur. at hunc locum ut ita potius interpretemur quasi ad sua ipsius carmina amatoria respiciens illam sententiam tulerit, vel *illinc* vox suadet quae Ovidii elegias amatorias aperte significat. ergo utrum ea carmina, de quibus quaerimus, noverit Ovidius necne, ex his versibus probari nequit. quid? etiamsi ad priorum poetarum carmina animum attendebat Ovidius, tamen illi necessario ratio habenda non erat operis a Propertio non absoluti; quo quidem certe elegi exiguum opus esse non desierunt. denique qua tandem ratione, ubi haec scripserit Ovidius, iam editum fuisse librum quintum demonstrari potest? quem post poetae mortem quo tempore emiserint amici non constat. sed incertum sane hoc argumentum neque vero, cum illa quae attulimus sufficiant, necessarium est. an Heimreireichius Ovidium fastos maxime conditurum ad haec carmina

de eodem argumento scripta, si iam legisset, sine dubio respecturum fuisse censet? at non fastorum illa, sed urbis Romae periegeseos fragmenta esse nunc docuimus. postremo de edictis illis, quibus carmina nostra „excepto ultimo puerilem omnia sapere et scholasticum poetam crassaque Minerva esse composita“ vel non modo „spurcissima“ continere et „inelegantissima“, sed quae etiam a vera Propertii et Cynthiae imagine abhorreant, professus est Heimreichius, de quibus cum ad singulorum sensum redeant, libera est sententia: — de his igitur quid nobis iudicandum videatur eis satis edoctus es quae de horum carminum consilio et compositione strophica supra disputavimus. quae cum ita sint, argumentum unum tantum stat, quo V, 1 vv. 121 sqq. ab ipso Propertio e Propert. I, 22 translatos esse negavit. id autem cadit in illud carmen quod Heimreichio certius nos evicisse speramus non esse Propertii.

Cetera tamen cum non videamus causas cur huic poetae abiudicemus, tum quasdam habere nobis videmur cur ei vel attribuamus, repetitas illas maxime e re metrica*). seclusi autem a ceteris carm. V, 1c quod Propertio abiudicandum esse duxi; quanquam in paucis his versibus non inveniuntur quae a ceterorum consuetudine differant. et primum quidem quales inter spondeorum et dactylorum in singulis libris usum intercedant rationes paucis exemplis illustrabimus. itaque nunc hexametrorum quattuor pedes priores hac tabula ita conferamus, ut liber quintus et quartus facile comparari possint. conformati autem sunt ad formas quas praescripsi hexametri

---

*) In his autem animadversionibus leves quidam numerorum errores, quos vereor ut prorsus effugerim, excusandi mihi sunt; sed eos numerandi negotio denuo suscepto removendi magis etiam me cepit taedium, cum vel sic universae rationes satis constent.

in libro	IV	V	IV	V
inter hexametros	495	441		
1) — — | — — | — — | — —	30	13	1/16	1/34
2) — ⏑ ⏑ | — — | — — | — —	79	83	1/6	1/6
3) — — | — ⏑ ⏑ | — — | — —	51	42	1/9	1/10
4) — — | — — | — ⏑ ⏑ | — —	12	11	1/41	1/40
5) — — | — — | — — | — ⏑ ⏑	20	7	1/24	1/63
6) — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — — | — —	52	61	1/9	1/7
7) — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — —	23	17	1/21	1/26
8) — — | — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑	10	9	1/49	1/49
9) — ⏑ ⏑ | — — | — ⏑ ⏑ | — —	48	48	1/10	1/9
10) — — | — ⏑ ⏑ | — — | — ⏑ ⏑	24	15	1/20	1/29
11) — ⏑ ⏑ | — — | — — | — ⏑ ⏑	42	50	1/11	1/9
12) — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — —	29	21	1/18	1/21
13) — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑	12	6	1/30	1/73
14) — ⏑ ⏑ | — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑	23	21	1/21	1/21
15) — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — — | — ⏑ ⏑	29	26	1/17	1/17
16) — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑	11	11	1/45	1/40

hac e tabula in quarto et quinto libro pariter praeferri eas hexametri formas perspicitur quas secundo tertio sexto nono undecimo loco posuerimus. atque haec congruentia cum eluceat in eis libris qui minimo temporis spatio interiecto separentur, ceteros in examen vocare opus non est; nam etiamsi inter illos et librum quintum certa discrimina invenirentur, haec tamen facile explicarentur maiore temporis spatio quod inter utrosque interpositum est. sed inter hos etiam eandem aequabilitatem observari confirmant Hertzbergii I p. 182 animadversiones. is enim adseverat ad secundam nostram figuram in libro primo ex hexametris 353 factos esse versus 58; in secundo tertioque ex hexametris 681 versus 116: ergo huic sextam partem attribuit. ad tertiam autem refert conformatos esse in libro primo 47 versus, in libro secundo tertioque 74 versus: qui in illo libro octavam, in his nonam omnium hexametrorum partem efficiunt. praeterea qui ad sextam normam conditi sint, eos in his libris numero non multum distare narrat ab eis qui tertiam sequantur. rariores autem esse hexametros

qui ad tertiam decimam aut quartam decimam formam comparati sint, rarissimos qui octavum aut sextum decimum exemplar expresserint. et haec quidem omnia cum nostra tabula accuratissime convenire videmus. hac autem iterum inspecta praeterea animadvertimus continere hexametros

in libro	IV	V	IV	V
ex hexametris	495	441		
singulos dactylos et ternos spondeos . .	162	143	1/3	1/3
binos et dactylos et spondeos	199	200	1/2	1/2
ternos dactylos et singulos spondeos . .	93	74	1/5	1/6.

iam addam rationes quae inter dactylos et spondeos in priore pentametri hemistichio adhibitos intercedunt comparatis inter se omnibus Propertii libris. qua de re usus sum quaestionibus metricis quas de poetarum Latinorum usque ad Augusti aetatem distichis instituit Ernestus Eichnerus in dissertatione Vratislaviensi a. 1866; sed tamen in quarto quintoque libro meas promam observationes. sunt igitur ad formas quas praemisi comparati pentametri

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
e pentametris . . .	353	177	504	495	441					
— — | — — | —	28	33	83	70	62	1/12	1/5	1/6	1/7	1/7
— — | — ⏑ ⏑ | —	45	28	78	84	60	1/7	1/6	1/6	1/6	1/7
— ⏑ ⏑ | — — | —	197	72	242	229	230	1/2	1/2	1/2	1/2	1/2
— ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | —	83	44	101	112	89	1/4	1/4	1/5	1/4	1/5.

idem Eichnerus l. l. p. 7 adn. p. 8. p. 10 adn. hexametri prius usque ad caesuram semiquinariam hemistichium in examen vocavit. cuius animadversionibus de libro quinto emendatis illud ad modos praescriptos conditum exhibent hexametri

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
inter hexametros	353	177	504	495	441					
— ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | —	78	36	98	102	105	1/4	1/5	1/5	1/5	1/4
— ⏑ ⏑ | — — | —	121	56	169	178	189	1/3	1/3	1/3	1/3	1/2
— — | — ⏑ ⏑ | —	86	34	102	99	73	1/4	1/5	1/5	1/5	1/6.

similiter autem correximus Eichneri observationes quibus pedum in distichis formas et rationes ita composuit, ut maxime prius hexametrorum qui caesuram semiquinariam prae se ferunt hemistichium cum priore pentametri compararet. ita tria distichorum genera invenit: nam in illis versuum partibus aut neutri hexametri pedi in pentametro respondet eiusdem generis pes, aut alteram sedem pares, contrarii alteram tenent pedes, aut plane pares exhibentur pedes. atque composita sunt disticha

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
inter disticha	353	177	504	495	441					
ad primam normam	85	34	101	96	78	1/4	1/5	1/5	1/5	1/5
ad secundam normam	158	74	215	218	196	1/2	1/2	1/2	1/2	1/2
ad tertiam normam	92	52	139	128	125	1/4	1/3	1/4	1/4	1/4.

praeterea singulorum distichorum compositio in illis hemistichiis hac tabula illustrari potest. namque condita sunt

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
inter primae normae disticha	85	34	101	96	78					
ad has formas: — — | — — | — — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | —	12	4	20	11	3	1/7	1/8	1/5	1/8	1/26
— ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — — — | — — | —	6	7	15	14	13	1/14	1/5	1/6	1/7	1/6
— ⏑ ⏑ | — — | — — — | — ⏑ ⏑ | —	21	10	23	34	25	1/4	1/3	1/5	1/3	1/3
— — | — ⏑ ⏑ | — — ⏑ ⏑ | — — | —	46	13	43	37	37	1/2	1/2	1/2	1/3	1/2

<table>
<tr><th colspan="2">in libro</th><th>I</th><th>II</th><th>III</th><th>IV</th><th>V</th><th>I</th><th>II</th><th>III</th><th>IV</th><th>V</th></tr>
<tr><td colspan="2">inter secundae normae disticha</td><td>158</td><td>74</td><td>215</td><td>218</td><td>196</td><td></td><td></td><td></td><td></td><td></td></tr>
<tr><td rowspan="4">ad has formas</td><td>— — | — ◡ ◡ | —
— — | — — | —
vel
— — | — — | —
— — | — ◡ ◡ | —</td><td>13</td><td>7</td><td>30</td><td>28</td><td>17</td><td>1/12</td><td>1/11</td><td>1/7</td><td>1/8</td><td>1/11</td></tr>
<tr><td>— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | —
— ◡ ◡ | — — | —
vel
— ◡ ◡ | — — | —
— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | —</td><td>79</td><td>22</td><td>94</td><td>96</td><td>105</td><td>1/2</td><td>1/3</td><td>1/2</td><td>1/2</td><td>1/2</td></tr>
<tr><td>— ◡ ◡ | — — | —
— — | — — | —
vel
— — | — — | —
— ◡ ◡ | — — | —</td><td>33</td><td>27</td><td>61</td><td>47</td><td>45</td><td>1/4</td><td>1/3</td><td>1/3</td><td>1/4</td><td>1/4</td></tr>
<tr><td>— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | —
— — | — ◡ ◡ | —
vel
— — | — ◡ ◡ | —
— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | —</td><td>33</td><td>18</td><td>30</td><td>47</td><td>29</td><td>1/4</td><td>1/4</td><td>1/7</td><td>1/4</td><td>1/7</td></tr>
<tr><td colspan="2">inter tertiae normae disticha</td><td>92</td><td>52</td><td>139</td><td>128</td><td>125</td><td></td><td></td><td></td><td></td><td></td></tr>
<tr><td rowspan="4">ad has formas</td><td>— — | — — | —
— — | — — | —</td><td>7</td><td>9</td><td>19</td><td>13</td><td>4</td><td>1/13</td><td>1/6</td><td>1/7</td><td>1/9</td><td>1/31</td></tr>
<tr><td>— — | — ◡ ◡ | —
— — | — ◡ ◡ | —</td><td>8</td><td>5</td><td>22</td><td>14</td><td>12</td><td>1/11</td><td>1/10</td><td>1/6</td><td>1/9</td><td>1/10</td></tr>
<tr><td>— ◡ ◡ | — — | —
— ◡ ◡ | — — | —</td><td>64</td><td>25</td><td>82</td><td>84</td><td>93</td><td>2/3</td><td>1/2</td><td>2/3</td><td>2/3</td><td>3/4</td></tr>
<tr><td>— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | —
— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | —</td><td>13</td><td>13</td><td>16</td><td>17</td><td>16</td><td>1/7</td><td>1/4</td><td>1/8</td><td>1/7</td><td>1/7.</td></tr>
</table>

ex his iam in adhibitis spondeis dactylisque quam maxima inter librum quintum et ceteros aequabilitas satis elucet. ubi tamen paullum ille recedit a reliquis, hoc eo maxime factum est quod spretis spondeis poeta praetulit dactylos. atque hoc in quinto libro fieri, quippe quem tempore ultimum conscripserit,

nemo mirabitur, quoniam quo quisque poeta aut tempore Augusto propior aut ipse in re metrica usu scribendi elegantior exstitit, eo magis spondeorum duritiem et gravitatem fugit.

Sed eandem nostro cum ceteris libris similitudinem esse in admissa synaloepha nunc nostris iterum observationibus nisi docebimus. et primum quidem exemplorum in singulis libris numerus sic se habet:

in libro	inter versus	quot versus synaloepham patiuntur?	quotusquisque versus synaloepham patitur?	quot versus bis synaloepham patiuntur?	quot versus ter synaloepham patiuntur?	quot versus quater synaloepham patiuntur?
I	706	118	6^{tus} quisque.	6	1	—
II	354	107	3^{tius} quisque.	9	—	1
III	1008	293	3^{tius} — 4^{tus} quisque.	24	2	—
IV	990	277	3^{tius} — 4^{tus} quisque.	24	4	—
V	882	210	4^{tus} quisque.	13	3	—.

imminuuntur autem in singulis libris singulae vocales et syllabae *m* littera terminatae, quas Lucianus Muellerus de re metr. p. 278 medias appellavit, in hunc modum, ut occupet synaloephas

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
ex omnibus exemplis .	118	107	293	277	210					
syllaba media . . .	25	37	74	75	59	$^1/_4$	$^1/_3$	$^1/_4$	$^1/_4$	$^1/_3$
ă	19	21	55	59	41	$^1/_6$	$^1/_5$	$^1/_5$	$^1/_5$	$^1/_5$
ĕ	66	37	105	104	80	$^1/_2$	$^1/_3$	$^1/_3$	$^2/_5$	$^2/_5$
ĭ	1	1	8	3	7	$^1/_{118}$	$^1/_{107}$	$^1/_{36}$	$^1/_{92}$	$^1/_{30}$
ŏ	1	1	3	2	4	$^1/_{118}$	$^1/_{107}$	$^1/_{97}$	$^1/_{136}$	$^1/_{52}$
ā	—	1	3	4	1	—	$^1/_{107}$	$^1/_{97}$	$^1/_{69}$	$^1/_{210}$
ē	1	2	18	4	4	$^1/_{118}$	$^1/_{53}$	$^1/_{15}$	$^1/_{69}$	$^1/_{52}$
ī	2	4	7	9	8	$^1/_{59}$	$^1/_{26}$	$^1/_{41}$	$^1/_{30}$	$^1/_{25}$
ō	2	1	17	14	5	$^1/_{59}$	$^1/_{107}$	$^1/_{17}$	$^1/_{20}$	$^1/_{42}$
ū	—	—	1	—	—	—	—	$^1/_{293}$	—	—
ae	1	2	2	3	1	$^1/_{118}$	$^1/_{53}$	$^1/_{146}$	$^1/_{92}$	$^1/_{210}$.

eandem autem quam hic ostendunt similitudinem tres ordines priores summis numeris insignes omnes libri prae se ferunt in sede versus quae potissimum synaloepham admittit. idque hac tabula declarabitur, in qua a. arsin, t. thesin, h. hexametrum, p. pentametrum significat. nimirum accepit synaloephas

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
ex omnibus exemplis .	118	107	293	277	210					
a. 2. h.	20	22	45	42	27	1/6	1/5	1/7	1/6	1/8
a. 2. p.	20	22	47	55	44	1/6	1/5	1/6	1/5	1/5
a. 3. h.	3	7	17	17	10	1/39	1/15	1/17	1/16	1/21
a. 3. p.	—	—	6	5	5	—	—	1/48	1/55	1/42
a. 4. h.	3	5	17	18	11	1/39	1/20	1/17	1/15	1/19
a. 4. p.	1	—	1	1	—	1/118	—	1/293	1/277	—
a. 5. h.	—	—	3	4	1	—	—	1/97	1/70	1/210
a. 5. p.	—	—	5	4	3	—	—	1/58	1/70	1/70
t. 1. h.	19	9	59	28	39	1/6	1/12	1/5	1/9	1/5
t. 1. p.	14	15	27	29	25	1/8	1/7	1/10	1/10	1/8
t. 2. h.	3	3	12	9	8	1/39	1/35	1/24	1/30	1/26
t. 2. p.	1	2	5	3	5	1/118	1/53	1/58	1/90	1/42
t. 3. h.	4	2	3	3	9	1/29	1/53	1/97	1/90	1/23
t. 3. p.	6	7	13	19	—	1/19	1/15	1/22	1/14	—
t. 4. h.	13	10	22	32	20	1/9	1/10	1/13	1/9	1/10
t. 4. p.	—	—	—	2	—	—	—	—	1/138	—
t. 5. h.	11	3	11	6	4	1/10	1/35	1/26	1/46	1/42.

simul thesin paulo maiorem synaloepharum numerum quam arsin ostendere animadvertes. cadunt enim

in libro	I	II	III	IV	V
ex synaloephis . .	118	107	293	277	210
in arsin	47	56	141	146	100
in thesin	71	51	152	131	110

ex eis autem synaloephis quae in thesin incidunt vocalem alteram qua imminuitur prior exhibent

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
ex synaloephis . . .	71	51	152	131	110					
longam	16	19	50	44	32	1/4	1/3	1/3	1/3	1/3
brevem	55	32	102	87	78	3/4	2/3	2/3	2/3	3/4.

hae autem breves in thesi vocales ita distribuuntur, ut occupent

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
ex synaloephis	55	32	102	87	78					
thesis brevem priorem .	31	14	63	60	54	3/5	2/5	2/3	2/3	2/3
thesis brevem posteriorem	24	18	39	27	24	2/5	3/5	1/3	1/3	1/3.

praeterea vocalium quae synaloepha coniunguntur ea est ratio, ut, si mediae syllabae brevibus adduntur, imminuantur

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
in synaloephis	118	107	293	277	210					
breves sequente brevi .	54	32	96	82	69	1/2	1/3	1/3	1/3	1/3
breves sequente longa .	58	65	149	161	122	1/2	2/3	2/3	2/3	2/3
longae sequente brevi .	2	—	10	6	8	1/59	—	1/29	1/46	1/26
longae sequente longa .	4	10	38	28	11	1/29	1/10	1/9	1/10	1/19.

denique inter breves vocales quae exhauriuntur subsequente iterum brevi inveniuntur

in libro	I	II	III	IV	V	I	II	III	IV	V
in exemplis	54	32	96	82	69					
syllabae mediae	8	4	12	14	15	1/7	1/8	1/8	1/6	1/5
ă	6	5	16	12	9	1/9	1/6	1/6	1/6	1/7
ĕ	40	21	60	54	42	3/4	2/3	2/3	2/3	2/3
ĭ	—	1	6	2	1	—	1/32	1/16	1/41	1/69
ŏ	—	1	2	—	2	—	1/32	1/48	—	1/69.

easdem autem rationes satis erit adnotare esse vocalium brevium quae longis subsequentibus copulentur, ita tamen ut hic non brevis e, sed a brevis maximum necessario sibi vindicet exemplorum numerum.

Quae cum ita sint, et in spondeorum dactylorumque et in synaloephae usu tam similis ceteris est liber quintus, ut non possit non esse Propertianus. nimirum ea quibus a reliquis paululum discrepat in re metrica facilem habent explicationem per temporis spatium inter hunc et illos interiectum, quo quae inelegantiora visa sunt poeta fugere consuevit. denique vero nemo qui librum quintum libero animo leget non agnoscet idem quod in ceteris Propertii carminibus cernimus dicendi genus paullo illud difficilius et laboriosius, sed grave et nervosum. quem tamen locum nunc copiosius persecuturus non sum, praesertim cum Hertzbergius I pp. 104—186 singula aequabilitatis exempla sat multa composuerit. hic verbo tantum monebo de ablativo illo vere Propertiano qui ut III, 18b, 26; IV, 6, 24; 22, 13, ita invenitur etiam V, 8, 10; 10, 18.

His igitur causis adducimur, ut vel post Heimreichii disputationem etiam librum quintum, qui ipse V, 1, 63 sq. Umbri poetae nomen sibi vindicet, non editum quidem, at scriptum a Propertio censeamus praeter carm. V, 1c. quod tamen carmen ut sibi inscriptum Propertius inter schedas suas reposuisse credendus est. inde autem a librariis quibus illas describendas tradiderant amici, cum mortui poetae carmina edenda curarunt, una cum ipsius elegiis illud emissum semelque evulgatum deinde per saecula circumlatum est cum ceteris de Cynthia elegiis, quibuscum ipso argumento conexum est.

Totus fere hic libellus typis expressus erat, cum mihi allata est Propertii Cynthia cum libro quarto qui Propertii nomine fertur a Dominico Carutti hoc ipso anno Hagae Comitum edita. is autem pp. XXXIV sqq. totum librum quintum praeter elegiam undecimam spurium et carm. V, 1 (vv 1—70.), 2, 4, 6, 9, 10 a Sabino, quem ut fastorum scriptorem memoret Ovidius ex Ponto IV, 16 vv.

15 sq., composita esse censet; neque tamen quidquam mihi persuasit. nam quae carm. V, 5, 7, 8 narrarentur iniuria visa esse a Propertii et Cynthiae moribus abhorrere supra ostendimus. nimirum miratus ille, quod amicae funus neglexisse feratur Propertius carm. V, 7, hanc elegiam post Cynthiae abdicationem scriptam esse oblitus est*). praeterea Lygdamus qui carm. V, 8 v. 37 Propertii minister dicitur vix Cynthiae unius, ut putat Caruttius, sed etiam Propertii servus erat; is enim illi carm. IV, 6 v. 5 et vv. 41 sq. libertatem promittit. denique cum mulieres in summo theatro sederent (cfr. Sueton. August. cap. 44.), Propertius certo inferiorem eis locum tenebat, etiamsi non in quattuordecim ordinibus sedebat; qua de causa iure monetur carm. V, 8 v. 77 ne illuc colla inflectat**). neque carm. V, 3 propterea a Propertio alienum est, quod Lycotae et Arethusae nominibus fortasse indicantur Postumus et Galla, de quibus etiam carm. IV, 12 dixit. atque etiam carm. V, 1, 2, 4, 6, 9, 10 iniuria vir egregius spuria iudicavit. haec enim cur in fastis non commemorata sint ab Ovidio supra exposui; idem autem remed. amor. vv. 763 sq. Cynthiam solam Propertii opus dicit, quoniam praecipuum quidem hoc amici opus erat et ipse illo loco in amatoriis tantum poetis enumerandis versatur. deinde ipse Propertius carm. IV, 3 cum opus aliquod epicum se olim incohasse diceret, cur etiam periegesin commemorare debebat, praesertim cum eius tum fortasse ne consilium quidem cepisset? porro pravam in his carminibus dicendi et narrandi artem sine ullo iure vituperari supra satis edocuimus. praeterea inter locos unde-

*) Ceterum etiam Caruttius carm. V, 7 vv. 35—38 suum locum non tueri perspexit, sed inseruit eos de philtris amatoriis interpretatus post v. 50; a quo loco, etiamsi interpretatio illa probari posset, tamen abhorrerent. neque non sentit v. 55 in antecedentes non convenire, sed rem expedire conatus est vv. 87—92 huc retractis. at hi tamen neque a vv. 93 sq., quos sine ulla utilitate post v. 70 revocavit, neque a totius elegiae fine propter vv. 91 sq. cum v. 96 necessitudinem separari possunt. minus etiam perspicio cur vv. 41 sq. post v. 46 inseruerit.

**) Immerito autem Caruttius carm. V, 8 vv. 3—26 alius carminis fragmentum esse voluit; respicit enim ad illos v. 48.

cunque collectos, quos nostrum scriptorem imitatum esse arguit ille, et has elegias aut nihil similitudinis est, aut, si quae est, eisdem rebus narratis satis explicatur. tum Herculem in Latio mortuum dici carm. V, 7 v. 64 non contendisset, nisi turpi errore hunc versum de poenis ab Hercule morte expensis intellexisset. duas autem Scyllas inter se confundens carm. V, 4 vv. 39 sq. Propertius tutus est Ovidii et Vergilii exemplo; idem enim quidni aliam hic, carm. IV, 19 vv. 21 sqq. aliam fabulae rationem sequatur?*). quae cum ita sint, ne Caruttio quidem librum quintum a Propertio non compositum esse concedo. neque vaticinium astrologi, quod ne ego quidem a Propertio profectum censeo, ille probabilibus argumentis ab hoc poeta abiudicavit, nisi quod et ipse vv. 122 sqq. e carm. I, 22 expressos notavit. nam v. 121 propter notos penates a Propertio humili loco nato (cfr. carm. III, 24 b, 37 sq.; III, 34, 55 sq.) abhorrere ratus horoscopum laudibus omnia exaugere neglexit. neque Propertius vv. 133 sq. rhetoricis exercitationibus operam navasse iniuria dicitur, quia his solebant erudiri adulescentes Romani. praeterea propter victorias bello reportatas in Propertium non convenire vv. 139 sq. criticus noster censuit, quia his versibus non Veneri, sed Martis militiam commemorari sibi persuasit. denique quod ipse Propertius carm. I, 22 in planitie, astrologus vv. 121 sqq. in loco edito patriam poetae posuit, id quivis diligenti horum locorum interpretatione expedibit.

---

*) Carm. V, 2 vv. 35 sq. damnavit Caruttius, quia Vertumnum se ipsum suo nomine appellare posse negat, at hoc quidem iniuria; eiusdem elegiae vv. 57 sq. ut inficetos expunxit, cum Vertumni facetias non intellegeret. sed eundem carm. V, 4 vv. 71 sq. alienam sedem tenere non fugit. quanquam transpositis eis post v. 86 et cursus mentio inepta est et vv. 85 sq. a vv. 87 sq. male divelluntur. eiusdem autem elegiae vv. 17 sq. propter orationem turbatam et sententiam perversam obelo notavit. at ubi vv. 15 sq. Tarpeiam virginis Vestalis munere fungi narravit poeta, haud inepte hac ipsa re admonitus tanta ira exarsit, ut Tarpeiae quae, quamvis vel prima Vestam tueri deberet, tamen *(et v. 17 = et tamen.)* eius ignem fallere voluerit, triplicem mortem imprecatus sit. denique etiam carm. V, 6 vv. 11—68 cum ceteris male cohaerere intellexit, neque tamen hoc digressionum licentia satis excusavit.

INDEX

locorum Propertianorum, de quibus in his commentationibus disputatum est.

Corrigenda.

P. 28	l. 9	pro	perscriptnm	legas	perscriptum
„ 32	„ 7	„	quo	„	qua
„ 33	„ 13	„	lam	„	iam
„ 44	„ 23	„	unt	„	sunt
„ 49	„ 29	„	usitam	„	usitatam
„ 53	„ 27	„	coeptus, erat	„	coeptus erat,
„ 68	„ 28	„	moratum iri	„	morari
„ 70	„ 8	„	vv. 67 sq.	„	vv. 65 sq.
„ 86	„ 31	„	iu	„	in
„ 90	„ 26	„	exculti	„	excultae.

Lipsiae typis expresserunt Fischer et Wittig.

